

5. Vacante denique intra prædictum tempus Procuratoris Curialis munere, Reuerendissimus Monachum idoneum, & expertum interim substituatur.

6. Si Visitatorum alteruter tempore Visitationis suæ in morbum delabatur, ita vt muneri suo non possit facere satis, illudque exequi, certiore faciat Reuerendissimum, à quo cum altero Visitatore, Diffinitoribusque legitime non impeditis, Monachus aliàs habilis, & idoneus, literisque eruditus, maiori suffragiorum parte eligatur, & ad visitandum in locum ægotantis subrogetur, donec ille ex morbo conualescat.

7. Si Reuerendissimus denique ex Abbatibus, aut Præsidentibus aliquem in progressu triennij ab officio suo suspenderit, cum Patribus Conciliarijs eiusdem Conuentus electione Canonica Præsidentem eligat aliàsabilem, & idoneum, qui toto suspensionis tempore in spiritualibus, ac temporalibus Abbatis vicem gerat.

8. Idemque faciant Visitatores suæ Visitationis tempore, si Prælatum forsitan suspenderit. Ipse tamen Præses electus, & constitutus certiore statim faciat Reuerendissimum, vt qui parti gregis præest à Generali Pastore agnoscat, atque si forte in alio Monasterio commoretur, cum benedictione ipsius Reuerendissimi ad præsidendum pergat.

## CAPVT QVARTVM.

### De Renunciatione Electi.

1. **R**enunciaciones munerum Capitularium potissimumque Prælationum, nec facile sunt admittendæ, nec nisi legitima interueniente causa, quæ omnes ad Senarium in Iure reducunt. *Prima* est conscientia criminis, non cuiuscunq; sed illius duntaxat propter quod etiam post præactam penitentiam, ipsius officij exequutio impeditur. *Secunda*, debilitas corporis, per quam scilicet Prælatus impotens redditur ad exequendum officium Pastorale. *Tertia*, defectus scientiæ. *Quarta*, malicia plebis, quæ quanto Prælatus magis laborat, tantò deterior

a 7. q. 1. quod

periculosum.

b Cap. Nisi

cum pridem

de Renunt.



fit. *Ultima* tandem graue scandalum, irregularitasque, siue inhabilitas personæ. Has, & his similes causas, ad regulares etiam renunciaciones legitimas esse censemus.

2. Si ergo aliquis in Capitulo præfens electioni sibi præsentatæ consentire renuerit, causam non assentiendi coram Reuerendissimo, seu Diffinitore præfide humiliter exponat, qui rematurè considerata, vel disensum illius approbet, vel ad obediendum illum inducat, & compellat, prout prudentia, & allegatæ causæ ratio poposcerit.

3. Si decursu triennij Generalis forsitan pastorali suo regimini cedere voluerit, coram Diffinitoribus, ac Visitatoribus causas explicet, qui insimul congregati eas expendant, siuntne legitimæ, & approbandæ, quod si maior illorum pars eas legitimas, ac rationabiles esse iudicet, ad prædictam rennuciationem faciendam facultatem concedimus, proindèque si Generalis in proposito perseuerauerit, rennuciationem subsignatam in scriptis offerat, Sigillumque Congregationis, & prædicti Patres eum à munere suo absoluant, atque Sigillum, præuio iuramento, tradant Visitatori primo, vel (eo legitimè impedito) Visitatori secundo, vt tanquam Vicegeneralis Congregationem, domumque Reuerendissimi regat, & gubernet, modo quo supra cap. 1. donec noua Generalis electio celebretur, prout ibidem statuimus.

4. Si Abbas, vel alius quicumque Vocalis muneri suo renunciare voluerit, causam cefsionis suæ coram Reuerendissimo proponat, supplicationemque in scriptis redactam illi offerat, qui vt supra dictum est numer. 2. cum ipso rennuciante se habeat.

---

## CONSTITVTIO V.


### De munere, potestate, & iurisdictione Generalis.

#### CAPVT



## CAPVT PRIMVM.

*De actuali possessione Generalatus.*

1.  VANQVAM Reuerendissimus Generalis canonicè electus eo ipso auctoritate Apostolica in suo munere confirmetur, statuimus tamen, vt priusquam illud exerceat, solemnè ritu in possessionem mittatur.

2. Publicata igitur ipsius electione, quotquot Monachi, Nouitij, atque Conuersi in Monasterio extiterint ad fores Capituli, Cruce cum ceroferarijs præunte, processionaliter congregentur, duoque Monachi cappis induti (quorum alter tiarâ, & Sigillum Congregationis; Baculum, & sanctam Regulam alter deferat) in medio processions incedant. \* Sacrista interim Altare maius festiuè ornet, ad cornu Euangelij cathedram collocet, & medium maioris sacelli tapeto cum puluino serico sternat; Cymbalista similiter cymbala festiuo tinamento repungat; \* Illisque finitis, quæ in Capitulo fieri præcipimus, Cantor maior, Conuentusque hymnum, *Te Deum laudamus* intonent, & processio paulatim ad Ecclesiam pergat, in cuius processions calce medius incedat Reuerendissimus inter Diffinitorem præsidem à dextris, & Generalem anteacti triennij (vel eo absente) Abbatem antiquiorem à sinistris. Cumq; ad Ecclesiam deuentum fuerit, organa pulsentur, & Versus hymni prædicti cû choro alternent, Reuerendissimus verò super paratum tapetem se se prosternat, & Diffinitor Præses sequentes Versus, ac orationem cantet.

Vers. *Saluum fac seruum tuum Generalem nostrum, Alleluia.*

Resp. *Deus meus sperantem in te Alleluia.* Vers. *Mitte ei*

*Domine auxilium de sancto, Alleluia.* Resp. *Et de Sion tuere*

*tum Alleluia.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spi-*

*ritu tuo.*

Orémus.

**D**Eus, omnium fidelium Pastor, & Reclor, famulum tuum Generalem nostrum N. quem Ecclesia tua præesse voluisti, propitiùs respice, & da ei quasumus verbo, & exemplo, quibus



præstet proficere, ut ad vitam unâ cum greg: sibi credito perueniat sempiternam; per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

3. Deindè surgat Reuerendissimus, & à prædictis Patribus comitatus ad cathedram ducatur, in qua sedeat; \* tunc Diffinitor præles Baculum à prædicto Monacho accipiat, & stans coram Reuerendissimo, factaque prius inclinatione dicat.

Bernardus  
ser. in Cana  
Domini.

† Accipe Abbatiale a insigni, quod tibi trado, ut affectu paterno gubernans, virga tua, & baculus tuus ipsa consolentur nos. Et respondentibus omnibus, Amen. Baculum illi tradat, & Sigillum Congregationis, atque genuflexus in signum obedientiæ, manum illi deosculetur.

\* Accedat statim Generalis antea acti triennij (seu illo deficiente) Abbas antiquior, & sanctam Regulam dextera accipiens, stans similiter coram Reuerendissimo, factaque prius profunda inclinatione, dicat:

† Accipe sanctam Regulam, quam tibi trado, ut eam diligenter obserues, & facias pariter obseruari; Et respondentibus omnibus Amen Regulam sanctam Reuerendissimo tradat, quam ipse accipiens reuerenter deosculetur: ille verò alter genuflexus manu eiusdem Reuerendissimi osculata, obedientiam illi præstet.

† Similiter ex ordine suo faciant ceteri Capitulares, Conuētuales, Nouitij, atque Conuersi; \* Etsi in proprio Monasterio Reuerendissimi huiusmodi actio, & solemnitas fiat, quilibet officialis, seu minister officinæ suæ clauēs ad pedes illius projiciat; Prior verò Sigillum Monasterij illi tradat.

4. His finitis, surgat Reuerendissimus, & ad medium Altaris ascendat, ibique à prædictis Monachis, Mitra imposita; & Baculo accepto, Capitulares, ceterosq; existentes solemniter, & in cantu Versibus solitis benedicat. V. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c.* Vers. *Sit nomen Domini benedictum, &c.* *Benedicat vos omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Atque exindè Generalis munus poterit exercere.

5. Si aliquis absens Generalis fuerit electus, pronuntiata electione, duo Capitulares ad illum statim mittantur, qui mandatum electionis deferant, & venientem comitentur: cumque iam veniens Monasterio appropinquauerit, Capitulares omnes

ad



ad valuas Ecclesię præstolantes illum processionaliter recipiāt, benedictione Regulari accepta, immediatē ad Capitulum tendant: cunctisque iam confedentibus, ingrediatur ultimò Generalis electus prædictis duobus Patribus comitatus, statimque prosternat se, & facto signo à Diffinitore Præsede, super genua surgat, munus acceptet, cęteraque omnia fiant, quę supra, & in hoc capite fieri statuimus.

## CAPVT SECVNDVM.

## De ijs ad quę Generalis ex officio tenetur.

**C**um inter rerum, & humanarum actionum varietatē quædam sint ad quas Reuerendissimus ex officio suo tenetur: alię, quę intra limites suę potestatis continentur: alię vero quę terminos illius effugiunt, vt singula omnibus pateant, quę sequuntur statuimus.

1. Primò igitur licet Reuerendissimus nulli alteri superiori Prælo præterquam Sedi Apostolicę immediatē sub alternetur, volumus tamen, & decernimus, vt his nostris Constitutionibus subijciatur, easque sub ijsdem pœnis, censuris, & præceptis in illis impositis, nec non, & cętera omnia à Capitulo Generali præcepta, ordinata, statuta, ac Diffinita similiter obseruare teneatur.

2. In ordine verò ad alios, tenetur Reuerendissimus inter alia præcipuè passiuę sanctę Regulę obseruationi inuigilare: Constitutiones item, Diffinitiones, Ceremonias, Ritus, laudabilesque consuetudines Congregationis nostrę violari non permittere: violatores verò paterna charitate admonere, arguere, coercere, & punire.

3. Tenetur insuper ex officio curare, ne fortè incuria Prælatorum, aut subditorum, Religiosa disciplina, obseruantiaque regularis sensim deficiat, deperdatur, aut tepefcat, sed feruido, ac prudenti zelo, animi pariter vigore, ac fortitudine, tū literis, tum verbo, & exemplo omnem sollicitudinem, & diligentiam adhibere, vt illa omnia perfectè exequantur, & conseruentur.



4. Quocirca Monasteria tenetur visitare non solum tempore solito, sed quoties etiam id oportere iudicauerit ad inquirendum de casu aliquo particulari, vel à Prelato, seu Monachis fide dignis, & zelo præditis id per literas fuerit supplicatū.

5. Ante omnia autem sollicitè procurare tenetur, quod in omnibus Monasterijs Diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum reuerenter, ac deuotè dicatur: Orationis, ac Læctionis exercitia habeantur: spiritualiaque & ad cultum Dei spectantia cunctis alijs anteponantur, iuxta præceptum ipsius Christi Domini: *Primum querite regnū Dei, & iustitiam eius, &c.*

a Cap. 2.  
cap. 65.

6. Hæc tria inter alia ex præceptis sanctæ & Regulæ, quam obseruare tenetur, & præ oculis semper ferre, cum semel, & iterum admonemus. Ne scilicet *primò* dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, atque terrenis, & caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. *Secundò*, ne permittat nutrirī vitia, aut peccata delinquentium dissimulet, sed mox, vt cœperint oriri, radicibus prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire. *Tertiò*, ne sit apud eum personarum acceptio, sed æqualis erga omnes charitas, solumque in dilectione præponat quos in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliores.

7. Cæterum cum Reuerendissimus bicipiti quasi dignitate fulgeat, Generalis nempe, & Abbatis; statuimus, vt in Monasterio illo, in quo Abbatis munere fungitur, eadem obseruare tenentur, que cæteri Abbates in suis seruare tenentur; atque sub eisdem præceptis, pœnis, & censuris illis impositis.

### CAPVT TERTIVM.

*De ijs, que ad auctoritatem, & potestatem  
Generalis pertinent.*

I. **C**um Reuerendissimus Pater Generalis canonicè electus plenam habeat potestatem, & iurisdictionem ordinariam, quasi que Episcopalem in omnes, ac singulos Monachos



ehos Congregationis nostræ, siue Abbates sint, siue subditi, potest imprimis quod attinet ad forum internum animæ erga omnes illos, quidquid possunt Abbates erga sibi subditos, de quo infra lib. 2. Constit. 1. cap. 2. & cap. de Confessarijs.

2. Si dubium aliquod (quod verè dubium sit) circa Constitutiones, aut Diffinitiones occurrat, Reuerendissimus, maturo consilio præmisso, illas interpretari, & explicare poterit: huiusmodi tamen declaratio vim legis non habebit, sed directionis tantùm practicæ circa casum illum specialem, & in indiuiduo tunc temporis occurrentem. Et hanc potestatem non poterit Reuerendissimus alicui alteri delegare.

3. Quod verò attinet ad forum externum, præcipimus, vt omnes lites, & controuersias inter Monasteria aliqua, seu inter Abbates illorù, tùm in civilibus, tùm in criminalibus emergentes, Reuerendissimus tanquam Iudex ordinarius iudicet, & dirimat (prout infra libro 2. Constitutione de Abbatibus plenius dicitur.)

4. De querelis, itèm, offensionibus, & grauaminibus subditorum erga Prælatos (si videlicet Abbas subditum suum offenserit, aut iniuste grauauerit) Reuerendissimus cognoscat, & iudicet ita prudenter, & iuste, vt caput cum membris, & cum capite membra in pace, ac lætitia Domino famulentur.

5. De delictis verò eorundem subditorum (paucis exceptis statim numerandis) non tenetur Reuerendissimus immediate, ac necessariò cognoscere in prima (vt aiunt) instantia, sed in ea curent Abbates suo munere fungi, subditos suos immediate puniendo, atque iudicando.

6. Porro, si Monachus delinquens Abbatis sui sententia audita offensari se senserit, Reuerendissimum Iudicem poterit implorare, ac tunc tota, eo ipso, ad illum, tanquam ad Superiorem in secunda instantia, causâ deuoluatur.

7. Cùm autem grauiora crimina superiori indigeant potestate, ac Iudice, statuimus, vt hic specialitè enumerata, à Reuerendissimo in prima statim instantia, atque immediate iudicentur: vel etiam à Visitatoribus, si in actu Visitationis suæ, aliquid horum denunciatur, vel tunc temporis contingat, ac puniri debeat.

Primò, Procuratio perpetuitatis in dignitate aliqua.

Secundò,



*Secundò*, Apostasia ab Ordine, & fuga à Monasterio, dummodo vagatio extra illud, vltra spatium quinque dierum prolongetur.

*Tertio*, Curiam Romanam, vel Regiam adire, absque licentia Reuerendissimi.

*Quarto*, Infidelitas in causis, negotijs, aut litibus Religionis: seu instrumentorum monumenta, titulos agrorum, aut possessionum alicuius Monasterij syngrafa, vel alias scripturas partibus aduersarijs, & cum Monasterio litigantibus tradere.

*Quinto*, Falsificatio, seu asimulatio literarum, vel signi Generalis, aut Abbatis.

*Sextò*, Malitiosa apertio, seu detentio literarum inferiorum ad superiores, vel superiorum ad inferiores.

*Septimò*, Manus violentas in Prælatum quocunque modo imponere.

*Octauò*, Subditorum etiam percussio, si cum effusione sanguinis, aut graui, & enormi læsione, seu grauiore crinine fiat.

*Nonò*, Violatio castitatis, si cum publico, notabiliq; scandalo committatur.

*Decimò*, Furtum graue, quod summam quinque aureorum excedat.

*Vndecimò*, Perpatratio noui criminis ab eo, qui in actuali penitentia existit per Generalem, seu Visitatores imposita.

In his vndecim casibus, Reuerendissimus immediatus Iudex erit: Abbates verò inquisitionem tantùm poterunt facere huiusmodi delictorum, eamq; ad Reuerendissimum remittere, vt sententiam ferat: etsi opus fuerit, ad capturam vsque delinquentium, reclusionem, seu carcerem poterunt etiam interim procedere.

8. Præterea, si Reuerendissimus nouerit Monachum aliquem extra, vel intra Monasterium existentem, delictum aliquod commississe, & ab Abbate suo non fuisse punitum (licet culpa perpatrata ex prædictis non sit) eam immediatè iudicare, ac punire tenetur, vel Abbatem ad punitionem illius compellere, incuriamq; & negligentiam ipsius Abbatis grauius plectere: non non defectus coram se commissos.

9. Quoniam verò ad auctoritatem Reuerendissimi pertinet cum vbique tanquam Superiorem reuereri; statuimus, vt in quocun-



quoocunque Monasterio Cōgregationis nostræ præsideat in Choro, in Refectorio, & in quolibet alio actu Conuentali à dextris habens Prælaturam ipsius Monasterij: in iisdemque actibus licentia, quæ per signa peti solent, ab illo petantur, cæteræ verò tùm illic, tùm alibi ab Abbate, qui manus suam ita liberè exerceat, ac si Generalis præsens non esset.

10. Porro, si Reuerendissimus, siue præsens, siue absens no- uerit aliqua inordinate fieri, vel contra leges, Prælaturam admo- nebit, quòd si ille negligentè se habeat, Reuerendissimus per se, & immediatè sic inordinata emendare poterit, & ad normam legum reducere.

11. Si Reuerendissimus denique extra Prouinciam Duri- minia, & ultra Monasterium Sancti Martini de Couto aliquan- diù extiterit, Præsidentem pro Monasterijs eiusdem Prouincia: Vi- sitatorem primum in scriptis nominabit cum limitationibus, quas maluerit. Quòd si Visitator primus legitime sit impedi- tus, nominabit Visitatorem secundum, quandiu impedimentum primi durauerit. Vtroque tandem Visitatore impedito, vel ab- sente, poterit Reuerendissimus vices suas committere, cui, & prout maluerit.

† Portò quilibet ex prædictis, qui Reuerendissimi fuerit Præ- sidentis, in quolibet Conuentu sedem habebit immediatè post Abbatem, seu Præsidentem illius, etiamsi Abbates alij simul concurrant.

## CAPVT QVARTVM.

*De ijs, quæ extra limites potestatis Reueren- dissimi continentur.*

1. **N**ON poterit imprimis Reuerendissimus Constitutio- nes, Diffinitiones, ac Ceremonias à Capitulo Genera- li stabilitas immutare, alterare, obseruationem, & executionem illarum impedire, prohibere, aut alias nouas addere, seu in præ- dictis Constitutionibus, aut Diffinitionibus dispensare (nisi ali- ud in proprijs locis annotetur) nec item in Visitationibus Visi- tatorum, censuris, aut præceptis in illis impositis. Quòd si in singulis prædictis secus facere præsumperit, voce actiua ipso fa-



sto, careat per triennium, prædictaque mutatio, alteratio, prohibitio, additio, aut dispensatio nulla, & irrita sit.

2. Non poterit secundò, Capitulum Generale prorogare ultra consuetum tempus dierum decem, plus, minusvè, nisi vrgens causa occurrat, quæ cum ipso Capitulo communicetur: nec item modum, & ordinem celebrationis eiusdem Capituli mutare, aut invertere.

3. Per ordinem ad Monasteria, non poterit Reuerendissimus absque licentia, & decreto Capituli Cœnobio Congregationis deserere, aut mutare; nec alia de nouo extruere, situm illorum emere, acceptare, aut eligere, nec ædificata iam, seu ædificanda ad habitationem Monachorum, seu Monialium, sub cura, tutela, & obedientia sua recipere. Nec item mutatas pecunias nomine totius Congregationis, seu alicuius Monasterij eas non debentis, sumere, aut à Campforibus sub onere còllybi, seu cambij accipere: nec denique epicephalium, seu quotam, vel summam pecuniæ soluendam per Monasteria distribuere. Alioquin si in quolibet horum deliquerit, voce actiua, & passiva careat vsque ad dispensationem Capituli, alijsque pœnis in reſidentia sua grauius puniatur.

4. Quòd si in progressu triennij, utilis aliqua, vel necessaria occurrat occasio ad aliqua ex dictis peragenda, periculumquè sit in mora ad celebrationem vsque Capituli Generalis expectare, in Congregatione Diffinitorum, ac Visitatorum à Reuerendissimo conuocanda, quid in prædictis agendum sit poterit diffiniri.

5. Non poterit item Reuerendissimus sub pœna priuationis vocis actiue, & passiuæ per triennium, personam aliquam, quantumuis illustrem, & insignem alicuius Monasterij Patronum instituere, aut Capellam Maiorem in ius sepulchri concedere, seu polliceri, nisi id prius communicetur cum Diffinitoribus, & Visitatoribus, & Abbate illius Monasterij, Procuratoreq; Conuentus, qui ad hunc effectum ab ipso Conuentu eligatur, vt quod melius fuerit, & vtilius fiat secundum maiorem suffragiorum partem.

6. Per ordinem verò ad Abbates, statuimus primò, vt non possit Reuerendissimus administrationi singulorum Conuentuum secundum leges ordinatæ, ac dispositæ immediatè seſe  
ingere-



ingerere; nec Priores in eis creare, aut constituere, vel sine legitima alicuius culpæ, seu inhabilitatis probatione illos priuare, aut mutare; Nec alios officiales, ac ministros Conuēntuales nominare; Nec in Ecclesijs Patronatus illius præsentare, præ dia, seu fundos locare, donare, vendere, aut permutate, nec titulos agrorum inquilinis facere, seu nouare, aut Colonos instituere, aliavē huiusmodi, quæ ad Abbates, & Conuentus pertineant.

Non poterit itē Abbatibus prohibere, nè litigium iustum alicui intendant, aut à litibus inceptis desistant. Nec denique Abbates poterit licenciare, vt præ manu, anticipataque solutione Ecclesiarum Monasterij vectigalia, seu illius redditus, & proventus pro futuro triennio locare possint. Aliàs si in aliquo ex prædictis defecerit, voce actiua, & passiua careat per triennium, alijs que pœnis in residentia sua plectatur.

7. Non poterit denique Reuerendissimus Prælatus aliquē dignitate, & officio suo priuare, vocevè actiua, aut passiua, nisi talis pœna à Iure, vel à Constitutionibus, Visitationibus, seu Diffinitionibus imponatur.

8. Per ordinem tandem ad singulos Monachos, statuimus, quòd non possit Reuerendissimus Monachorum aliquem eximere ab obedientia Prælati sui immediati, ita vt talis exemptus, non teneatur seruare censuras, & præcepta illius, aut pœnitentias ab eo impositas non adimplere; nisi fortè subditus ratione grauaminis, vel querelæ cum supplicatione in scriptis ad Reuerendissimum recurrat; Tunc enim Reuerendissimus quod iustum fuerit decernat, decretum verò in supplicatione appositorum tenebitur sic grauatus Abbati suo ostendere, vt omnibus illud innotescat.

9. Non poterit etiam recipere Monachos aliarum Congregationum Ordinis nostri, absque beneplacito Generalis illarū.

10. Vt autem omnis simoniacæ administrationis tollatur suspitio, & ne iustitiæ restitudo aliquali largitionum pondere curuescat, sub pœna priuationis vocis actiue in Capitulo Generali, præcipimus Reuerendissimo, vt præter comestibilia, nulla alia dona, quæ momenti sint, & estimatione digna (quæ nimirum valorem quinque aureorum, plus, minusve excedant) ab Abbatibus, seu Monachis, vel etiam à secularibus, qui cum ipso aliquid habeant negotij per se, vel per interpositam personam recipiat:



cipiat: nec etiam Socio, vel Secretario suo facultatem concedat ad illa recipienda; Abbatibusque insuper, & Monachis precipimus sub priuatione vocis passiuæ in eodem Capitulo Generali ne prædicta dona, cuilibet ex prædictis largiantur.

11. Ne autem Reuerendissimus potestate sua abutens, terminos illius transfiliat, Monasteriaque, aut Monachos iniuste forsitan opprimere audeat: si aliquando in prædictis, vel alijs sinistrè aliquid, & contra leges faciendo, præcipiendo, prohibendo, vel pro libito earum pœnas, aut præcepta alterando, Monasteria, Abbates, aut Monachos grauauerit, statuimus, vt sic grauati ad tribunal Diffinitorij (de quo infra) per supplicationem in scriptis redactam, ius suum, legumque obseruationem postulantes recurrere possint, Reuerendissimusque Diffinitorij sententiam seruare teneatur.

## CAPVT QVINTVM.

### *De punitione culparum, & causis priuationis Reuerendissimi.*

1. **C**VM magna sit illecebra peccandi impunitatis spes, volumus, vt etiam Reuerendissimus, hac spe sublata, punitioni, atque correctioni subiaceat. Quapropter, si Visitatoribus Monasterium illius Visitantibus, culpas aliquas ipsum commisisse probetur, quæ neque priuationis, neque suspensionis pœnam mereantur, precipimus, vt pœnitentias aliquas secretò implendas, Visitatores coram Patribus Conciliarijs in concilio congregatis illi imponant, quas ipse humiliter acceptet, & sub præcepto obedientiæ implere teneatur.

2. Si verò culpæ proclamatæ temporariam tantum suspensionis pœnam habuerint annexam, iustis de causis Generalis minime suspendatur; Illarum tamen processum, & probationes teneantur Visitatores in ipsius residentia fideliter præsentare, vt ibi cum digna satisfactione pœnas luat. Interimque ne fortè prædictæ culpæ defectu supplicij perseuerent, serpent, aut inualescant, præceptis obedientiæ, pœnaque priuationis vo-



cis actiue in Capitulo Generali, alijsvè huiusmodi eas cohibeant.

3. Si denique premissæ culpæ Generalis, priuationis pœna fuerint dignæ, precipimus, vt Visitatores cum officio suo lata sententia priuent. *Licet autem a Regulares persona cum causa requirit, facilius, & liberius, à suis possint administrationibus amoueri,* Volumus tamen, vt Reuerendissimus propter sequentes tantùm culpas priuari queat.

4. *Primò*, si in Catholica fide (quod Deus auertat) fuerit forsitan suspectus: *Secundò*, si de vitio simoniæ, vel de homicidij crimine: de publicavè incontinentia, seu alio quouis vitio notabiliter, & grauissimè scandalizante: vel de procurata perpetuitate in munere suo, fuerit conuictus. *Tertiò*, si leges parui pendens, eas passim proterat, & violet, obseruareque minimè curet, nec per Ordinem obseruari faciat, Conuentus ad illarum obseruationem hortando, & monendo, *Quartò*, si graues aliquas probatas, aut manifestas Abbatum, seu subditorum culpas sine vlla correctione, aut punitione sapius deglutiat, atque dissimulet.

5. Propter singula prædicta sufficientè probata, vel alia quæ priuationis officij sui pœnam expressè habuerint impostam, Generalis iuridicè priuetur. *Quòd si* conuictus ille, & prolate sententiæ annuens, Diffinitorij Iudicium implorare noluerit, Visitator primus, quandiù alterius electio non celebratur, toti Congregationi, ipsique Monasterio Reuerendissimi præsideat, modo, quo supra Constitutione 4. cap. 1. sancitum est.

6. Licet autem Excommunicationis maioris vinculo innodati, iurisdictionis suæ vsu, & exercitio ipso iure priuentur, cum tamen inter excommunicatos quidam sint tolerati ab Ecclesia, actusque iurisdictionis validè exerceant: alij verò non tolerati, qui nec licitè, nec validè potestatem iurisdictionis possunt exercere, statuimus, vt si aliquando fortè contingat Reuerendissimum excommunicatum non toleratum existere, proindèque vsu iurisdictionis suæ consequenter priuatum, Visitator primus (vt supra) Congregationi præsideat; Monasterio verò Reuerendissimi Prior eiusdem, donec ille, vel absolutionis beneficium consequatur, vel iuxta prædicta, officio suo priue-

a Cap. Quæ-  
liter, & quæ-  
do, de accus.

a 24. q. 1. Ad  
diuimus.  
b 8. q. 4. Nō  
ne.

c Ad probā-  
dā, de sent.  
& re iud.



† Similiter etiam si Abbas alicuius Monasterij taliter fuerit excommunicatus, ad Priorem illius iurisdicção, & potestas gubernandi deuoluatur, quandiu Abbas ratione excommunicationis incurſa fuerit impeditus, vel aliter non fuerit prouisum.

7. Obseruare autem licet excommunicatum in duplici tantum casu non toleratum censerí. 4. Prior est, si fuerit notorius percursor Clerici. Posterior, si per expressam Iudicis sententiã nominatim excommunicatus declaretur.

\* Extran.  
Ad euitanda

## CONSTITVTIO VI.

### De Visitatoribus, & Visitatione Congregationis.

#### CAPVT PRIMVM.

*De ijs, quæ pertinent ad officium, & auctoritatem Visitatorum.*

1. **V**ISITATORES legitimè electi ex vi officij illis commissi, Monasteria Congregationis nostræ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, tum in capite, tum in membris, tempore, ac modo inferiùs assignando, tenentur visitare, & ad Monasticam viuendi normam redigere, Constitutiones, Definitiones, Ceremonias, laudabilesque consuetudines facere obseruari, culpasque, & excessus, tum Abbatum, tum subditorum punire.

2. Quod munus in Domino exhortamur, vt cum omni equitate studeant exercere, in nulloque Conuentu, quantumcunque minimo, patiantur, sanctas illas institutiones negligi, ac præteriri, quarum obseruantia ex multitudine Monachorum minimè pendet, cuiusmodi sunt, exempli gratia, Officij Diuini tempore, loco, ac modo debito recitatio, Contemplationes, Disciplina, Silen-



Silentium, Ieiunium, Capitulum, Confessio, Communio, & cætera huiusmodi, quæ sic à paucis, sicut à multis possunt obseruari.

3. Ex Monasterijs Interamnensibus (Domo Reuerendissimi, ac Diffinitoris Primi excepta) poterunt Visitatores eligere, quod maluerint, ad habitandum: in eodem tamen non poterit vterque commorari.

4. Prælato Monasterij in omnibus, sicut & alij subijciantur, (exceptis ijs, quæ ad munus suum spectant) quin potius Abbas ad executionem illius, sumptus necessarios sub pœna suspensionis ab officio suo per tres menses, suppeditare tenebitur.

† Chorum frequentent, ac cætera omnia obseruent, quæ Diffinitoribus infra præcipimus Constit. 7. cap. 1. num. 6.

5. In communi Officiorum tabella, pro dicendis tantùm Missis solitis, & pro illis, quæ ex obligatione Monasterij annuatim per Monachos solent distribui, conscribantur.

6. Priorem Conuentus loco, ac voce præcedant, & in mensa maiori sedeant: comparatione verò aliorum Capitularium (si cum illis concurrant) seruent ordinem sedendi in Capitulo Generali, Constitutione 1. assignatum.

† In Monasterijs tamen, quæ actu visitauerint, immediatè post Prælatum illius, à dextris, & à sinistris locum habeant, ita vt omnes tam subditos, quàm Prælatos aliorum etiam Conuentuum antecedant.

## CAPVT SECVNDVM.

### *De tempore Visitationis, & Visitorum receptione.*

1. **Q**uoniam sacris <sup>a</sup> Canonibus, sacroque <sup>b</sup> Concilio Tridentino annuatim visitare, maximè consonum est, statuimus, vt Monasteria Congregationis nostræ in primo, & tertio anno triennij visitentur à Reuerendissimo, in secundo à Visitoribus. † Visitationes primi, & secundi anni incipiant post Assumptionem Deiparæ Virginis; Visitatio autem tertij anni ita inchoetur, vt duobus saltem mensibus ante Capitulum Generale finiatur.

<sup>a</sup> 16. q. 1.  
*Decernimus.*  
<sup>b</sup> sess. 25. c. 8.  
1. & c. 8.



2. Monasteria in quibus Visitatores commorantur, visita-  
bit Reuerendissimus singulis annis, illique similiter Monaste-  
rium Reuerendissimi visitabunt.

† Præcipimus autem, vt neque Reuerendissimus, neque Visi-  
tatores tempore Aduentus, aut Quadragesimæ Monasterium  
aliquod visitent; nisi vrgens occurrat necessitas.

† Ea præterea in visitando habeatur ratio, vt Monasteria,  
quæ in primo anno prius visitata sunt, prius etiam in secundo, &  
tertio communiter, ac regulariter visitentur.

3. Priusquam ergò Visitatores ad Monasterium visitan-  
dum accedant, duobus ante diebus Abbatem admoneant; qui  
venientibus illis ad fores Ecclesiæ, cum quatuor Monachis oc-  
currat, eosque ingredientiæ aqua lustrali aspergat, & ad Capel-  
lam Maiorem, in qua Conuentus erit deducat, & ibique super ta-  
petem prostratis, stans Regularem benedictionem impendat.

† Deinde genibus flexis recitet Conuentus Hymnum, *Veni  
creator Spiritus, &c.* illoque finito, dicatur *Kyrie eleyson, &c.*  
*Pater noster, &c.* & Abbas dicat Versus sequentes. *Et ne nos  
inducas, &c.* Vers. *Memento nostri Domine in beneplacito populi  
tui.* Resp. *Visita nos in salutari tuo.* Vers. *Domine exaudi ora-  
tionem meam, &c.* Dominus vobiscum, &c. & stans Orationem  
sequentem.

Orémus.

**D**eus humilium Visitator, qui eos Paterna benedictione, &  
dilectione consolaris: præstende Societati nostræ gratiam tuam,  
vt per eos, in quibus habitas tuum in nobis sentiamus auxilium.  
Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

4. Et orantibus paulisper, surgat Conuentus, & cum silen-  
tio ad Capitulum pergat, vbi cunctis stantibus Cantor maior,  
præmissa *Benedicite*, legat Euangelium illius diei; deinde se-  
deant omnes, alterque Visitorum proponat verbum Dei  
breuemque sermonem faciat, quo Monachos exhortetur, vt non  
passione aliqua, sed zelo, & charitate ducti ad maiorem Reli-  
gionis profectum, proximi que utilitatem defectus commissos,  
aliaque emendatione, & correctione digna denuntient, ita vt  
nec reuelanda fileant, nec secundum Ius silenda reuelent.

Prædictam verò exhortationem per singulos Conuentus Vi-  
sitatores alternatim facere debent, onusque æqualiter partiri.

Quæ



Qua exhortatione finita nominentur à Prælato duo Monachi experti, ad Rationia accipienda, quibus Visitatores statim iuramentum præstent. Nominentur etiam Monachus alter iunior, qui sit Monachorum accersitor, & ad visitationem necessaria, papyrum scilicet, atramentaria, & cætera diligenter præparet, singulosque Monachos, secundum ordinem antiquitatis, in catalogo describat, quem Visitatoribus tradat.

5. Vltimò tandem has literas, quas in gratiam sanctæ Paupertatis secum confectas Visitatores afferant, coram omnibus præcipiant legere, lectasque loco conueniente affigi.

¶ *Frater N. & Frater N. Visitatores Generales huius nostre Congregationis, & in hoc Monasterio ad visitandum præsentati, cupientes secundum voluntatem, ac desiderium totius Congregationis, quod votum Paupertatis in dies semper perfectius obseruetur, & superfluitates aliqua illam offendentes euellantur, præcipimus, omnibus, ac singulis huius Cœnobij Monachis, tum Prælato illius, tum subditis cuiuscunque dignitatis, status, aut qualitatis sint, ut consilium suorum catalogam, prout initio Quadragesimæ fieri solet, fideliter nobis offerant. Mandamusque in super in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ omnibus prædictis, ut infra duos dies naturales, quor eis pro tribus Canonicis admonitionibus assignamus, et in scriptis declarent, & explicent omnem pecuniam tam vsus sui, quam ad Monasterium, seu Communitatem spectantem (si quam potestate sua habuerint) nec non alienam, quæ illis fortè sub custodia, vel deposito sit commissa, ut sufficientem habentes de prædictis notitiam, quod melius, ac in Domino salubrius fuerit, disponamus. Datis tali die, & c. & subscribant.*

6. Quoad receptionem vero Generalis, statuimus, ut quoties Reuerendissimus visitaturus (vel prima vice post electionem suam) ad monasterium venerit, Abbas cum Conuentu pleno ad fores Ecclesiæ, illum recipiat, ipsique ingredienti aspergillū porrigat, ut se & circumstantes aspergat, & Conuentus ad altare Maius tendat cātans Responsorium, *Euge serue bone, & c.* (prout in Processionario habetur) vel Hymnum, *Te Deum laudamus*. Reuerendissimoque coram Altare postrato, cantet Abbas, Versus, & Orationes sequentes, *Verl. Protector noster aspice Deus. Resp. Et respice in faciem Christi tui. Verl. Saluos fac seruos tuos.*



Resp. *Deus meus. &c.* Verſ. *(Tuertere Domine & ſuequo. Verſ. Et Deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Verſ. Domine exaudi orationē meam. Resp. Et clamor meus, &c. Dominus vobiscum.*

Orèmus.

**O**mnipotens ſempiternus Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætere de ſuper hunc ſamulum tuum Generalem noſtrum ſpiritum gratiæ ſalutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem benedictionis infunde.

**O**mnipotens ſempiternus Deus, miſerere his ſamulis tuis, & ſiquid eis in via ſubreſſit, viſus, aut auditus male rei, aut otioſi ſermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Deinde ſi Reuerendiſſimus viſitaturus adueniat, genibus flexis recitetur Hymnus, *Veni Creator Spiritus, &c.* ſiantque reliqua (modo, quo ſupra numero 3.)

## CAPVT TERTIVM.

### *De ijs, quæ Viſitatores, & viſitandi obſeruare tenentur.*

1. **P**eractis ijs, quæ ſuperiori capite fieri præcepimus, incipiant Viſitatores loco, & tempore congruo viſitare, & inquirere, curentque muneri ſuo infra quinque dies in maioribus Monafterijs facere ſatis: Vnde cum debita diligentia, & ſolicitudine Monachos vocare faciant, eoſque audiant, nec tempus perdant, imò ante, & poſt prandium quotidie Viſitationis officium exercent, vt quàm primùm ſe ſe expediant. Quòd ſi longiori tempore fuerit opus, in Concilio id communicent.

2. Statuimus, & diſtictè præcipimus, vt Viſitationis tempore, tum Reuerendiſſimus, tum Viſitatores in Reſectorio ſimul cum Conuentu, eandem reſectionem, eoſdemque cibos capiant, ſiue carni ſint, ſiue piſcis; vnũ ſerculum tantum permittimus poſſe addi Reuerendiſſimo, Socijs illius, ac Viſitatoribus, vltra conuentualem reſectionem; nec illi aliter fieri conſentiant, alioquin in reſidentia ſua puniantur.

3. Parietes



3. Parietes cubiculorum in quibus, vel dormiunt, vel hospites recipiunt, nullo apparatu permittant ornari: excipimus imagines sanctorum, aliasque effigies, taperum in Mensa, & aulaeum coriaceum ad caput lecti: ipsum vero cubile Monachale sit, alias in residentia puniantur.

4. Praecipimus, ut neque ab Abbate, neque à Monachis visitandis, Visitatores ipsi munera momenti accipiant, alioquin tam donantes, quam recipientes voce passiva careant in Capitulo generali.

a C. Romana, de cens. in 6.

Cap. Exigit, ibidem.

5. Circa personas, quas debent inquirere, & addenunciandum accersere, statuimus, quod *Conuersi* ad proclamandum, seu immediatè denunciandum non vocentur.

Nec item secundo, *b persona seculares* testimonium ferant, nisi ad veritatem indagandam, & comprobandam, aliter fieri nequeat.

b 2. q. 7. Laicos.

c. Veniens, de test.

Tertio testimonia Monachorum, qui vel incorrigibiles, vel infames per sententiam finalem iudicati sunt, nullatenus recipiantur, nisi necessaria omnino sint ad sufficientem grauis delicti probationem.

c C. Præterea, de test.

Quarto, qui per finalem sententiam, vel in carcere constituti, vel in neruo compediti existunt, ad proclamandum non vocentur; si tamen fuerint relati, testimonia illorum accipiantur.

Siquis vero Monachus alterius iam Monasterij Conuentualis, testis in aliqua visitationis causa fuerit relatus (si commode fieri potest, & opus fuerit ad plenam probationem faciendam) Visitatores eum per literas accersant.

Quòd si nimia Monasteriorum distantia, aliæ vè causæ occurrentes id non patiantur, indecisâ prædicta causa maneat, donec Visitatores relati Monachi testimonium accipiant, vel per se, vel per Monachos alias dignos, & idoneos, quibus vices suas committant. Eo vè accepto, statim iuridicè procedant delinquentemq; iudicent eadem potestate, & iurisdictione, ac si in prædicto Monasterio, & in actuali visitatione presentes existeret.

6. Ut autem omnis fraudis, ac doli occasio præcludatur, tū Reuerendissimo, tum Visitoribus, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, præcipimus, ne ex malitia, iniusta vè aliqua machinatione delinquentis supplicium, ac sententiam differre præsumant.



7. Præcipimus etiam sub eodem præcepto virtutis sanctæ Obedientia, sub eademque pœna Excommunicationis, ipso facto incurrenda, atque insuper sub priuatione vocis actiua, & passiuæ per triennium, quod neque Reuerendissimus, neque Socius, neque Visitatores, nec item alij quicumque ad visitandum Commissarij electi, directè, vel indirectè alicui reuelent, quid, vel quomodò, seu quot defectus Monachus hic, vel ille coram eis denuciando, seu proclamando sugesserit (nisi fortè iuridicè fuerint interrogati, illudque reuelare fuerit opus ad veritatem aliquam limandam.)

8. Circa personas, culpasque de quibus possunt inquirere, & ad illarum punitionem procedere, statuimus primò, vt inquirent tum de Prælato, tum de subditis illius Monasterij, quod actualiter visitant, tum etiam de famulis, ac familiaribus illius.

Præterea (ne frequentibus, seu mediatis Monachorum translationibus, culpe aliquandò impunitæ remaneant) inquirent etiã de omnibus alijs tum Prælatis, tum subditis, cum quibus isti actualiter visitati aliquanto tempore contubernales, seu conuentuales extiterunt ab vltima Visitatione præterita, vsque ad illam præsentem.

Quòd si aliquid contra illos absentes sufficientè probetur, eos priùs (vt mos est) pro defensione sui auditos, Visitatores ipsi iuridicè puniant, vel per se præsentialiter, vel per sententiã in scriptis redactam, quam illis promulgare præcipiant, quantumvis Visitatio Monasterij in quo commorantur, finita iam sit, atque transacta.

De culpis verò commissis ante vltimam Visitationem, non poterunt inquirere, nisi fortè adhuc vigeant, & quasi malè medicatæ recrudescant, seu repullent.

De culpis itèrn, quæ à Prælato fuerint punitæ, non poterunt inquirere, nec eas iteratò plectere, nisi insufficienter, & quasi perfunctoriè in eas fuerit anima duersum; tunc enim præcipimus, vt non delinquentem tantùm, sed Prælatum etiam digna satisfactione castigent.

Si quis denique peracta iam Visitatione, irreuerentè, seu contumeliose cum Visitoribus se gerere audeat, poterunt illi ad iuridicam delinquentis inquisitionem procedere, eumque punire, ac si Visitatio finita non foret.



9. Quod verò attinet ad ea, quæ Monachi visitandi obseruare tenentur, statuimus primò, vt Monachorum nemo cuiuscunque status, & dignitatis existat, legitimos Visitatores audeat non recipere, vel illorum Visitationem tempore statuto faciendam prohibere, limitare, aut quouis modo impedire, alioquin *in sententiam Excommunicationis ipso facto* incurrat, & à quacunque dignitate obtenta priuetur, alijsque pœnis ab ipsis Visitatoribus puniatur.

Præcipimus item secundò, vt toto Visitationis tempore, neque Abbates extra Cœnobium dormire, neque Monachi à Monasterio possint egredi, absque speciali licentia Visitorum, aut Reuerendissimi actualiter visitantis.

Præcipimus tertio *in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto* incurrenda, omnibus, ac singulis Monachis Monasterij, quod visitatur, cuiuscunque status, conditionis, vel dignitatis sint, vt nullus aliquem inducat ad proclamandum aduersus alium, aut ad culpam aliquam denunciandam.

Præcipimus etiam sub eodem præcepto, eademque censura, vt nullus, siue Prælati sit, siue subditus temerè audeat reserare scrinium, arculam, siue quoduis aliud reconditorium, in quo processus, actaque Visitationum reseruantur, aut ipsos processus, seu Monachorum proclamationes legere, alioquin si fuerit conuictus à Visitoribus grauius puniatur.

Abbates denique *præceptum virtutis sanctæ Obedientiæ*, subditis suis imponant, ne in materijs Visitationis cum Visitoribus colloquantur, nisi vtroque simul Visitatore presente. Huiusmodi autem præceptum, non poterunt imponere Reuerendissimo visitante.

## CAPVT QVARTVM.

### *De modo inquirendi, & interrogationibus faciendis.*

I. IN conclauē Visitationis, Reuerendissimus, vel Visitor res recepti, legant primò Visitationes præcedentes, quæ



adhuc vigent, aut quid in eis præceptum, & ordinatum sit noverint, quidque circa illas inquirere debeant.

2. Deinde Prælaturam accersiri iubeant, & post illum singuli sigillatim Monachi iuxta prædicta capite præcedente, singulisque iuramento præstito, Visitator primus sequentes faciat interrogationes, non generaliter, & in confuso tantum, sed particulatim per omnes de verbo ad verbum discurrens, quod sub iuramento muneris sui servare teneatur.

3. Forma iuramenti præstandi, & obligatio illius erit de veritate super interrogandis iuste, & sincerè dicenda, & insuper de secreto servando, si ad specialem inquisitionem de particulari persona, vel de particulari delicto deveniatur, ita ut ea, quæ unusquisque in casu proposito deposuerit, & de quibus fuerit interrogatus reticeat, nec aliquibus revelare præsumat, sub iuramento præstito.

4. Prælati igitur accersito, Visitator secundus ordinariam inquisitionem in scriptis faciendam sub hac forma inchoabit.

*Tali die talis mensis, & anni, Visitantibus nobis Fratre N. & Fratre N. Visitatoribus Generalibus huius nostræ Congregationis Monasterium hoc N. tam in capite, quam in membris, insimulque congregatis ad nostrum munus peragendum, Reuerendus admodum P. Frater N. Domnus Abbas illius vocatus accessit, eique iuramento delato, sub forma nostrarum Constitutionum, ad interrogata in hunc modum respondit.*

5. Et statim post quamlibet interrogationem Visitator ipse responsionem eius, & eadem quæ protulerit verba, formaliter, ac fideliter scribet; similiterque se habebit cum singulis alijs Monachis ad inquisitionem vocandis. Quod si aliquid ad culpam pertinens proclametur, ad marginem actorum apponat, *Proclamatio*: si verò ad bonum regimen Monasterij spectet, apponat *Consilium*. ut faciliè postea inveniatur, quæ cum Patribus Co-filiarijs sunt communicanda.

6. Ab Abbate verò hæc interrogentur, *Primò*, An habeat aliquid pro reformatione, utilitate, & augmento Monasterij, aut Monachorum illius in spiritualibus, aut temporalibus proponendum?

*Secundò*, An de Prælati, seu Monachis, cum quibus ab ultimâ Visitatione usque ad hanc præsentem cohabitavit, aliquid per id



id temporis nouerit iuste denunciandum, aut emendatione dignum?

7. Monachis autē, huiusmodi ordinatim fiāt interrogationes.

*Interrogatorium Commune.*

1. **A**N Diuinum officium diurnum pariter, & nocturnū tam in Choro, quā in Altari, horis debitis, debita pausa, & deuotione dicatur, atque statutis diebus modo, quo præcipitur cantari, cantetur?

2. An Oratio mentalis horis definitis in Conuentu habeatur, & omnes ad illam consuuant?

3. An Anniuersarijs Conuentus, omniumque Missarum obligationibus solcite, ac plene satisfiat?

4. An statutis diebus Capitulum culparum habeatur, & ad id ipsum omnes conueniant, Clamatoresque sint designati, qui debito zelo suo fungantur officio?

5. An in communi Refectorio Monachi simul, reficiant, cum silentio, grauitate, & lectione, tum in prima, tum in secunda Mensa?

6. An ieiunia regularia seruentur, aut carnes diebus prohibitis comedantur?

7. An flagellationes conuentuales diebus definitis habeatur, & ad illas omnes congregentur?

8. An silentium regulare diebus, horis, ac locis debitis seruetur?

9. An lectio conuentualis Moralis Theologiæ diebus statutis habeatur?

10. An fundorum tituli legitimis hæredibus, iusta pensione imposta, in Conuentu fiant?

*De Abbate.*

1. **A**N Abbas secundum sanctam Regulam a subditos <sup>a</sup> Cap. 1. suos verbo, & exemplo doceat?

2. An maiorem sollicitudinem gerat <sup>b</sup> in rebus trāsitorijs, <sup>b</sup> Cap. 2. maioriq; studio incumbat temporalibus, quā spiritualibus, vtrisque tamen debita prouidentia consulat, atque prospiciat?

3. An



- § Cap. 2. ¶ 3. An sit & acceptor personarum, vnumque plusquam  
 alium sine meritis diligit?
- ¶ Cap. 64. ¶ 4. An sit turbulentus, & aut nimius, aut imperijs suis mi-  
 nus prouidus, & consideratus?
- § Cap. 2. ¶ 5. An sit negligens, & remissus in culpis subditorum pu-  
 niendis, aut dissimulandis; aut nimis seuerè cum illis agat, sine  
 misericordia, & paternæ pietatis temperamento?
- ¶ Cap. 64. ¶ 6. An frequenter sit cum illis in Choro, & in communi refe-  
 ctione, cæterisque actibus Conuentualibus, & an per se, vel per  
 Priorem post Completorium Monachorum Celas, foresque  
 clausuræ perlustret?
- ¶ 7. An in prouidendis, sine suppeditandis ijs, quæ ad cultum  
 Diuinum, ac decorem, & perfectionem illius requiruntur, præ-  
 misera parcitate deficiat?
- ¶ Cap. 53. ¶ 8. An similiter *f* in hospitibus recipiendis; & *in* infirmis  
 curandis, visendis, & consolandis: *in* debilibus, ac senibus *b* fo-  
 uendis: *in* elemosynis faciendis Regulam sanctam, Constitu-  
 tionesque accuratè obseruet?
- ¶ Cap. 37. ¶ 9. An in frequentibus regularis obseruantia dispensa-  
 tionibus: *aut* in licentijs Monachis concedendis, aut negandis  
 excedat?
- ¶ Cap. 38. ¶ 10. An in ijs, quæ ad victum, & vestitum Monachorum  
 spectant, quo ad quantitatem, qualitatem, modum, ac tempus,  
 aliquem defectum committat?
- ¶ 11. An denique aliquod præceptum legis Diuinæ, aut visi-  
 tationum; aliquam Constitutionem, aut Diffinitionem, lauda-  
 bilemque consuetudines Ordinis nostri violauerit, aut violari  
 permiserit?

## De Monachis.

1. **A**N sciat, vel credat, vel fama sit aliquem Monachorum  
 qui visitatur, mandatum aliquod Dei, vel Ecclesiæ,  
 vel præceptum ad mortale obligans violasse?
2. An sciat, vel credat, vel fama sit aliquem contra votum  
 Obedientiæ deliquisse; aut Maiorum præcepta, & admonitio-  
 nes, regularesque Obseruantias facile contemnere; *aut* contra  
 sanctam Regulam contentiosè, & tardè, tepidè, cum murmure,  
 vel cum responso nolentis solere obedire?



3. An sciat, vel credat, vel fama sit aliquem votum castitatis violasse, aut suspectam aliquam amicitiam, seu familiaritatem habere?

4. An sciat, vel credat, vel fama sit aliquem aliquid rapuisse: vel contra votum paupertatis proprietarium esse accipiendo, retinendo, donando, expendendo, vel alios adus domini exercendo absque licentia Superioris.

5. An sciat, vel credat, vel fama sit aliquem die, noctuue clausura terminos, aut septa Monasterij temerè transilisse: aut feminas intra eadem septa ingredi, seu manere permississe?

6. An sciat, vel credat, vel fama sit Monachos charitatem non habere ad inuicem, aliquemvè cum scandalo non alloqui alterum: seu discordias seminare: vel manus violentas alicui imposuisse?

7. An sciat, vel credat, vel fama sit aliquos ludos prohibitos exercere; assuetos esse iurare, vel turpiter loqui, detrahere, ieiunia frangere, vel comestiones frequentare?

8. An sciat aliquem reuelasse personis extraneis, ea quæ in Conuentu, aut in Consilio tractantur, tractata sunt, vel decreta?

9. An sciat aliquos esse, qui extra cellas vagantes totum ferè tempus terant in vanis confabulationibus, alijsque similibus, studium literarum, lectionis, & orationis, & alia Monastica, ac vtilia exercitia non curantes?

10. An sciat aliquos, qui vtantur calceamentis, aut indumentis interioribus, aut exterioribus in substantia, colore, vel modo Religionis statutis aduersantibus; aut sæcularem aliquam curiositatem sapientibus? An etiam vniformiter omnes induantur?

11. An sciat omnes in celebratione Missæ, alijsque ceremonijs conformari; aut aliquos qui frequenter non celebrent, vel induotè sedentes, aut ambulantes Diuinas laudes perfoluant?

12. An sciat Priores, Magistros Nouitiorum, & Iuniorum, Prædicatores, Confessarios, Sacristam, Cellerarium, cæterosque Officiales obligationi munerum suorum in aliquibus deficere. Verùm famuli pacifici sint, & honesti? diebusque statutis conseruantur?

13. Vltimò tandem, an de Prælatis, siue Monachis, cum quibus



quibus ab vltima Visitatione, vsque ad hanc præsentem aliquãto fortè tempore cohabitauit aliquid ex omnibus, & singulis prædictis tunc nouerit, iustè denunciandum, & emendatione dignum?

¶ His ita formaliter interrogatis, cum alijs, quæ vterque Visitator interrogare voluerit, aut Monachus ex se habuerit denuncianda, seu monenda, omnes subsignabunt; Monachus autem non subscribat, quin prius totam testimonij sui seriem aut legat, aut Visitator eo audiente legendo recitet.

9. Vt autem in omnibus tum Visitatores, seu Superiores inquirentes, tum etiam Monachi denunciantes sacris Canonibus, & decretis, rectèque iustitiæ, & charitatis ordini conformentur sequentia statuimus, circa triplex genus Inquisitionis. Inquisitio enim vel generalis esse potest, vel mixta, vel specialis.

10. In inquisitione igitur generali (quam scilicèt Superiores statis & temporibus ex officio facere tenentur, vt prospiciant moribus subditorum, generaliter de illis inquirendo) non possunt testes inquisiti reuelare delinquentes occultos, qui nulla infamia laborant, præterquam in casibus subsequenti-

a C. Romana, de cens. §. Sanc.  
c. Inquisitionis, de ac.  
C. Qualiter.  
C. Cum oporteat.

bus. *Primò* si delictum per se sit in nocumētum boni communis, vel in graue damnum, & præiudicium tertij adhuc imminens, vt conspiratio in Prælarum, machinatio necis, seu percussionis faciendæ, continuatio furandi, vel quid simile perpetrandum. Hæc enim, si aliter commodè auerti, & impediri nequeant ad Superiorem statim sunt deferenda, vt maiori autoritate occurrat, nè fiant, aut continuentur.

c Aug.

*Secundò*; si ad emendationem alterius cuiusque peccati occulti (licet ex prædictis non sit) nullum aliud remedium correctionis fraternæ subsit, aut profuturum credatur. Tunc enim *ne culpa in corde putrescat*, Visitatoribus reueletur principaliter tanquam Patribus, minus principaliter tanquam Iudicibus, vt ipsi nõ publicè puniendi, sed secretò, atque prudentèr, minori (quoad fieri possit) famæ delinquentis detrimento, conscientia per culpam sauciata medeantur sub pœna aliqua arbitraria, & secreta, vel etiam sub pœna *Excommunicationis ipsi facto incurrendæ* illi imperando, vt à peccato abstineat, emēderetur, aut resipiscat, aut nè ad talem vel talem locum accedat, aliudue simile.



11. Ad inquisitionem *mixtam*, generalem, scilicet ex parte personæ, specialem verò ex parte delicti (quando nimirum peccatum est publicum, & de corpore illius constat, Author verò delicti occultus, seu non diffamatus) tenentur quidem Visitatores ex officio procedere, inquirentes de persona in genere, & indefinitè, quisnam delictum illud (vulnerationem scilicet, seu quid simile) patrauerit.

† Testis verò inquisitus (cùm *evidentia criminis vim habeat Accusatoris*) si Authorem illius noverit, eum propter bonum commune revelet, ne in Religione reformata peccata maneat impunita, & ne in perniciem eius, communeq; scandalum claudesini delinquentes audaciores fiat impunitatis spe præcepta.

† Visitatores autem semiplenam habentes probationem per testimonium saltem vnus testis oculati, omni exceptione maioris (cui scilicet nihil iure opponi possit) vel per indicia grauia sufficienter probata, seu per aliquid aliud simile, Reum sub iuramento (si causa id exigat) interrogent, insinuando illi prius probationem, seu testimonium, quod habet contra se (vt mos est) vt sciat, se iuridicè interrogari: b interrogatus autem iuridicè sub mortali tenetur veritatem fateri.

† Porrò tunc Reus iuridicè interrogatur, cum datur semiplena probatio coniuncta cum formali accusatione, vel cum aliquo, quod suppleat vicem illius, vt sunt notorietas delicti, fama ipsius Rei, vel iuridica denunciatio eius.

\* Eodè modo procedat Visitatores, & testis, si ad instantiam partis offense specialis inquisitio fiat; tunc enim testis testificetur de iniuria, quam oculis vidit inferri, vel auribus audivit proferre.

12. Ad inquisitionem denique omnino *specialem ad punitionem* tendentem, in qua scilicet inquiritur de hac particulari persona, & indiuiduo delicto (si non ad instantiam partis, sed ex officio, Iudicis fiat) non possunt Superiores regulariter procedere, nisi vel iam habeant semiplenam probationem, vel infamia, seu clamorosa insinuario delinquentis, atque delicti præcedat: vel communis quædam suspitio per maiorem saltem Conuentus partem diffusa. Quæ fama per testes primùm probetur, deindè de veritate rei inquiratur; Testes verò de speciali sic persona interrogati, veritatem, quam noverint tenentur aperire (nisi aliqua iusta ratione excusentur.)

a Aragon.  
2. 2. 9. 69. ar.  
1. & 2.

Azor part. 3  
lib. 13. c. 16.  
Megalius 1.  
p. lib. 1. c. 5.  
u. 24.

Aldrete lib.  
1. de Relig.  
disc. c. 7. n.  
12.

Non esse contra iustitiam tenet Lessius  
lib. 2. de accus. c. 30. dubio. 6. n. 48.

b D. Thom:  
2. 2. 9. 69. ar.  
1. & DD. communiter:

c D. Thom:  
ar. 2. loc. cit:  
Lessius vbi  
sup. cap. 31.  
dub. 3.

d Azor loc.  
cit. c. 27. &  
Hostiens. cū  
alijs.

e C. Inquisitionis.



13. Licet autem non sit opus quod in publicis, & manifestis delictis fraterna præcedat correctio, in occultis tamen quæ ad materiam illius spectant, Monachos in Domino exhortamur, ut ordinem correctionis à Christo Seruatore præscriptum sincere charitate ante iudicalem denunciationem obseruent, salutem proximi, & famæ pariter consulentes per priuatam primò, secretamque correctionem: Secundò per correctionem coram vno, vel duobus testibus: Tertiò, per manifestationem factam Superiori, tanquam Patri, vtendo his gradibus, vel aliquem illorum omittendo prout vtile, ac necessarium fuerit ad emendationem fratris, atque secundum spem illius.

14. Si verò dum hæc officia præstantur charitatis, quæ solam emendationem peccatoris respicit, ipse interim deuolgetur, vel aliæ conditiones ad iudicalem denunciationem requisitæ occurrant, tunc iam iustitia dictante (quæ propter bonum publicum, exemplum, & terrorem aliorum, non priuatam tantum emendationem delinquentis, sed punitionem etiam delictorum postulat) ad denunciationem iudicalem procedatur.

## C A P V T V.

### De Scrutinio, & Consilio Visitationis.

1. Postquam Reuerendissimus, vel Visitatores prædictam inquisitionem peregerint, testesque vocaliter, & non aliter audierint (vel quando commodius fieri possit) visitent primò sacrosanctam Eucharistiam (Conuentu interim cum candidis accensis, vt mos est, Versum *Tantum ergo Sacramentum, &c.* capente) inspiciantq; an decenter, interius, & exterius, atque tutè sub clauè asseruetur.

2. Deindè duo Responsoria pro fratribus ibidem defunctis cantentur, vnum in Ecclesia, alterum in latere Claustrum, seu Capitulo, Cruce cum ceroferarijs præeunte, Reuerendissimusque vel Visitator qui sacrum Custodiarium inuist, dum Responsoria cantantur, Cappa indutus aqua lustrali Fratrum sepulchra aspergat, & in fine dicat cum Versibus solitis Orationem, *Deus*

*venio*



*venia largitor, &c.* addita Oratione *Fidelium Deus, &c.* in 2. Respo.  
 3. Visitent præterea singula Altaria Ecclesiæ, Sacella, locum Reliquiarum, Oleum sanctum pro infirmis, Sacristiam, paramenta Altarium, & cætera ad ornatum cultus Divini, & ad sacros usus spectantia; similiterque omnes alias Conventus officinas, Valetudinarium, Hospitium, Bibliothecam, Tablinum, seu Archium; omnesque defectus notent, ut super eis provideant, ac in ijs præsertim, quæ ad cultum Dei spectant, nullum omnino defectum patiantur, aut excusationem admittant.

4. Cellulas item Monachorum, eorumque suppellectilem, & utensilia perscrutentur, illorumque Catalogos (de quibus supra) considerent: Quod si aliquid superfluum, aut sanctæ paupertati, Religionisque statutis repugnans inuenerint, tollant, & alicui ex officinis applicent; si aliquid necessarium deesse constiterit, largiri præcipiant.

5. Interim etiam eorum, quæ aduersus Prælatum, ac Monachos fuerint proclamata, singulis sigillatim copia detur, breui ad respondendum, ac se defendendum assignato termino, quod si infra illum obiecta quisque sufficienter non diluerit iuxta leges puniatur. Illa verò culparum copia non sit originaria, quæ in actis continetur, sed in speciali scheda summam transscripta, & a Visitatoribus subsignata, nominaque testium, nè animorum tranquillitas deperdatur, & odia emergant, supprimantur, ac minime publicentur: in casu tamen gravissimo, ut conspirationis in Religionem, vel homicidij, si fuerit opus, ad arbitrium Iudicis nomina testium dari poterunt Reo.

6. Libros denique rationales Officialium Conventus euoluant, ratiocinia cuiusque examinent, & in singulis fidem faciant, summam conscribentes, quid unusquisque receperit, quid expenderit, quid residui apud se retineat, rationibus adhuc referendum. Atque in singulis prædictorum librorum titulis post vltimum receptum, datum, & expensum, apponant hæc verba, *Finis Rationum generalium*, ut inde postea aliæ sequentis Visitationis rationes inchoentur.

7. His ita expeditis, & alijs, quæ iudicauerint debere præcipi, & ordinari annotatis, Abbatem, & Consiliarios conuocent, ibique primò Abbatis defectus reprehendat, & puniat Visitator primus, secundum quod leges decreuerint, vel

a Argum. c.  
*Quæstio. 2.*  
 in fine. §.  
*Hunc ordinem.*  
 Scar. tom. 4.  
 de Relig. li.  
 br. 10. c. 12.  
 num. 31.



deficiente lege, secundum vtriusque Visitatoris arbitrium: si tamen defectus tales sint, qui suspensionis ab officio, aut priuationis pœna sint puniendi, in Capitulo coram Conuentu pleno Abbas suspendatur, aut priuetur.

Si visitante Reuerendissimo Monasteria in quibus Visitatores commorantur, aliquis illorum defectus personalis fuerit proclamatus, in eodem etiam Cōcilio, reprehendantur, debitaq; pœna illis ibi imponatur. Priuari tamen non poterunt, nisi ob easdem culpas, propter quas Diffinitores priuari posse Constitutione sequenti statuimus.

8. Deindè Abbatis reprehensione finita, omnia, ac singula in Visitatione præcipienda, ordinanda, & statuenda, Obedientiæ, & censuræ imponendæ, etiam si in Visitationibus antea actis iam sint præcepta, & cōmunicata, cum Abbate, & Consiliarijs ibidè denuò communicent, & conferant, sæpè enim juniori Dominus reuelat, quod melius est. Vnde si aliquid ab eis fuerit præceptū absquehuiusmodi præiua consultatione nullius sit roboris, ac vigoris.

9. Singulis verò Consiliarijs ordinatim auditis poterūt illi præcipere, & ordinare quod ad salutem animarum, & ad rectum Monasterij regimen melius, magisque conducere iustè, ac prudenter in Domino iudicauerint, nisi omnes simul Consiliarij nemine discrepante iurent oppositum debere fieri.

10. Quod tamè attinet ad pœnas, & præcepta imponenda, statuimus *primò*, vt neminè possint priuare voce actiua, aut passiuæ, nec Abbate officio suo, nisi talis pœna imponi præcipiatur à Iure, Cōstitutionibus, Visitationibus, aut alijs literis Superiorū aliquid sub illa imperado, vel prohibendo. *Secundò*, volumus vt ijs, quæ sub pœna aliqua determinata, vel sub virtute sanctæ Obedientiæ in Constitutionibus, aut Diffinitionibus de facto sunt præcepta, nihil aliud in Visitationibus addi possit, aliàs tale additamentum irritum sit, & inane.

Alias verò res quibus specialis pœna per leges statuta nō est, poterūt præcipere fieri, aut prohibere sub pœna aliqua arbitraria corporea præsertim, cuiusmodi sunt pœna priuationis, vel suspensionis ab officio; priuatio vocis actiue, aut passiuæ ad tēpus, seu in Capitulo Generali; pœna reclusionis carceris, nerui, verberationes, ieiunia, aliæq; similes. Sub his igitur pœnis poterunt in

Visita-



Visitatione præcipere aliquid faciendum, vel prohibere ne fiat.

Præceptum verò obligans ad mortale, aut Excommunicatio nis penam ipso factò non poterunt imponere vniuerso Conuentui, nisi suffragantibus illis cum Abbate simul, & Consiliarijs per calculos albos, ac nigros, maior suffragantium pars assentiatur, quæ suffragia coram omnibus calculentur.

Si autem prædicta aliqua præcepta, vel censuras hac forma non seruata aliter vniuerso Conuentui imposuerint, hac præsentis Constitutione ea irrita esse declaramus. Aliquibus autem, seu singularibus personis imponi, cum fuerit opus, nõ prohibemus.

11. Similiter in locis illis, in quibus vnus tantum, vel duo Monachi commorantur quascunque pœnas, vel etiam præcepta, ipsis auditis, cum debita moderatione poterunt imponere in casibus prædictis, quibus specialiter per leges prouisum non est.

12. Statuimus denique, vt prædictos Consiliarios, nõ semel tantum, sed Couentum etiam quoties fuerit opus Visitatores possint conuocare, Officialibusque Monasterij præcipere, quæ ad debitam exequutionem muneris sui fuerint opportuna, vt Ianitori, ne ianuam tali, vel tali tempore pandat aut ne Monachi cum sæcularibus colloquantur, & his similia.

13. Circa opera vero conficienda, seu extruenda, statuimus, vt ea tantum possint præcipere quæ secundum possibilitatem reddituum intra terminos sui regiminis Abbas possit efficere: operibus enim Abbatis futuri, futurae visitationes consulent.

## CAPVT SEXTVM.

### *De ijs quæ ad Visitationem efformandam pertinent.*

1. PREDICTIS in Consilio ita discussis, & collatis ad Visitationem efformandam, defectusque puniendos, Visitatores procedant. In ea verò multitudinem præceptorum non curent, nec quæ iam sunt præcepta, & in his Constitutionibus sancta superuacanea repetitione remandent, nec item propter singulares defectus vniuersum grauent Conuentum, cõmunem legem



legem statuentes, sed eos, qui singulariter deliquerunt, singulari supplicio puniant, vt facilius emendantur.

2. Omnia igitur, quæ in Visitatione debent præcipi, & scriptis mandari, onera culparum Monachis obiecta, purgationes, & responsa illorum, pœnasque pro culpis proclamatis, & probatis in Capitulo infligendas, mutuo inter se conferant, & quid tandem faciendum sit decernant. Volumus autem vt pœnarum, quæ in Constitutionibus, aut Diffinitionibus assignantur, meri sint exequutores secundum quod illæ disponunt, si se Reus nõ sufficienter purgauerit. Pœnarum verò, quæ arbitrio suo relinquuntur, siue quantitatem, siue qualitatem secundum proportionem culpæ prudenter insimul iudicent.

Quòd si alter ab altero dissentire contingat circa intelligentiam, vel sensum alicuius legis, pro explicatone illius Reuerendissimum consulant.

Si autem diuersimodè sentiant circa sufficientiam probationis alicuius delicti, aut circa pœnam arbitrariam delinquenti imponendam, iuxta sanctissimi Legislatoris & nostri documenta, ipsiusq; Iuris dispositionem, misericordiam super exaltent iudicio, atque suffragium illud præualeat, quod è duobus fuerit benignius: In cæteris verò ordinandis, ac præcipiendis si discordes fuerint, Visitationis primi iudicium præualeat.

3. Ne autem Visitationum pluralitas confusionem pariat, statuimus, vt duæ tantum Visitationes in Monasterijs Congregationis nostræ sint semper in viridi Obseruantia, vna Visitationum, Generalis altera. Qua propter tum Reuerendissimum tum Visitatores ad Visitationem suam actualem, Visitationem Predecessorum suorum, vel etiam suam antecedentem reducant, ita vt duæ solum Visitationes obseruandæ relinquuntur.

Ea verò, quæ expressis verbis non fuerint redacta, & specificè denouo transcripta, nullo deinceps ad obligandum robore vigeant.

In Monasterio autem Reuerendissimi, cuius visitatio annis singulis ad Visitatores spectat, vel etiam in Monasterijs Visitationum, quæ Generalis annuatim visitat, ea habeatur ratio, vt vna tantum visitatio in suo vigore permaneat, cæteræ verò reducantur (vt supra) pro vt fuerit opus.

4. Statuimus, vt Visitatio in duobus libris scribatur, vna

Con-



Conuentus proprio, altero Visitatorum peculiari, qui Visitatoribus in Capitulo Generali electis tradetur, cumque plenè fuerit exaratus in Monasterio Primatè asseruabitur, Visitaciones etiam Reuerendissimi in aliquo quoque codice, Generali subsequenti tradendo, & similiter asseruando conscribentur.

5. Forma autem Visitacionis in prædictis libris exaranda erit huiusmodi.

*¶ Visitatio facta in hoc Monasterio N. per Visitatores Generales Fratrem N. & Fratrem N. dum esses Abbas Reuerendus Pater N. & Prior N.*

Deindè apposito hoc titulo addatur:

*¶ Frater N. & frater N. Visitatores Generales huius nostre Congregationis Sancti Martini Tibanensis Regnorum Portugallie, visitantes hoc Monasterium N. tam in capite, quàm in membris, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, notum facimus omnibus, ad quos hæc nostra Visitatio atinet, ad quam prædecessorum nostrorum Visitacionem reducimus, ea que nobis visa sunt specialiter, & expressè præcipere ad meliorem obseruantiam legis Diuine, ac disciplinæ regularis, iuxta sanctam Regulam, legesque Congregationis nostre, esse huiusmodi.*

*In primis serid admonemus Patrem Abbatem, & Priores, tèm presentis, tèm futuri triennij, vt obseruent, faciantque obseruare præcepta legis Diuine sanctæ Matris Ecclesiæ, Regulam sanctam, quàm profiterentur; Constitutiones, Diffinitiones, Cæremonias, consuetudinesq; Ordinis nostri. Deindè præcipimus, tale, vel tale, &c.*

6. Ad calcem tandem Visitacionis duo designentur Monachi ex senioribus eiusdem Visitacionis zelatores, qui si aliquid illius violari viderint, aut contemni cum debita reuerentia, & subiectione Abbatem admoneant, vel Monachum, cuius interest, seu ad quem pertinet præceptum aliquod obseruare.

Quod si admonitus emendari contempserit, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt Visitacionis Audiorem (siue sint Visitatores, siue Reuerendissimus, aut successores eorum) Zelatores ipsi certiores faciant, Cellerariusque, & Expensor pecuniarum sumptus necessarios, & nuntium ad huiusmodi mandatum deferendum sub eodem præcepto præstare tenebitur. Illi verò, Reuerendissimus scilicet, aut Visitatores punitione aliqua actuali, aut pœnis etiam aggrauatis, si opus fuerit Abbatem, seu quemvis



quemuis alium cogant ad obseruantiam Visitationis. & si aliquid poenae in Visitatione positae addiderint, in Capitulo pleno legatur, & à Cantore Conuentus, tanquam appendix ipsi Visitationi addatur.

7. Vltimò pro bono pacis Visitationem concludant, ac finiant, praecipientes in virtute sanctae Obedientiae, ac sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, vt neque Abbas, neque Monachorum aliquis alteri dicat, *A te tale, vel tale proclamatum est, vel Ex monitione tua hoc, vel illud dimanauit.*

Porrò si aliquae sententiae iuridicè sint efformandae, praecipimus, vt in eis ponatur causa, & fundamentum illarum, alioquin executioni non mandentur. Forma autem erit huiusmodi.

*¶ Visis his Actis, probatione data, ceterisque scriptis adiunctis, ostenditur Patrem N. tale, vel tale crimen comisisse, ipsumque pro defensione sui fuisse auditum, delicta tamen sibi obiecta responsione sua non satis diluisse. Quibus omnibus perspectis, mature ponderatis, & diligenter consideratis, cum ceteris, quae ex Actis, & processu illorum constant, dispositione Iuris communis, & specialis nostrorum Constitutionum, Deum solummodò praeculis habentes, Christi nomine inuocato, Iudicamus, & declaramus eum praedicta crimina perpetrasse, quapropter eum damnamus tali, vel tali poena, &c. Ita pronunciamus, discernimus, & declaramus omni meliori modo, & via quibus de Iure possumus.*

*Lata, & publicata fuit supradicta sententia à Patribus Visitationibus, in eaque subscripserunt tali loco, tali die mensis, & anni.*

## CAPVT SEPTIMUM.

### De ijs, quae ad promulgationem, & dispensationem Visitationis pertinent.

1. **O**Mnibus itaque ad promulgationem Visitationis preparatis, & Monachis illis, qui paterna admonitione indigent, tempore congruo vocatis, ac secretò reprahensis facto signo, Visitatores, Abbas, & Conuentus in domum Capituli conueniant, ibique Visitator ille, qui in exordio Visitationis verbum Dei proposuit, breue iterum sermunculum faciat, in quo  
 Mona-



Monachos exhortetur ad obseruationem sanctæ Regulæ, ad emendationem defectuum, & ad studium proficiendi in charitate, cæterisque virtutibus.

2. Deindè culpas iuridicè probatas palâ faciat, singulosq; delinquentes sigillatim reprehendat, & puniat, pœnam unicuique (iuxta supradictâ) imponens, nihil omnino dissimulans, ne Visitationes in contemptum veniant, aut quasi actiones perfunctoriæ habeantur.

3. Si aliquæ fuerint sententiæ iuridicè formatæ, vt priuationis, suspensionis, vel aliæ similes, ibidem ab eo promulgentur: illarum verò, præter exemplar, quod in actis continetur, aliud erit transcriptum Abbati tradendum, vt sententiam prolatam exequatur, cuius sententiæ acceptationis literas tradat Abbas à se ipso subsignatas, seu potiùs in Actis fateatur, & subsignet se prædictû transcriptû suscepisse. Quod impleta sententiâ cremetur.

4. Si Abbatem forte officio suo Visitatores priauerint, aut suspenderit, ipseque Diffinitorij iudicium non implorauerit ad aliud statim Monasterium, quod illis commodius visum fuerit transmittant, Abbasque prædicti Monasterij eum *in virtute sanctæ Obedientiæ* recipere tenebitur, & in casu priuationis statim Reuerendissimum certiozem faciant, vt ad electionem procedat (proût supra Constit. 4. statutum est:) in casu verò suspensionis, Præsidem constituent (proût ibidem cap. 3. num. 7. decernitur.

5. Vltimò tandem, præcipiente Visitatore, Cantor maior Visitationem coram omnibus legat, eamque perlectam Abbas, & Consiliarij in vtroque libro, Visitatoresque subsignent; eam verò in suo robore, & vigore permanere volumus vsque ad sui reductionem, licet munus, & iurisdictio Visitantium interim expiret.

6. Præcipimus autem, vt nihil in Visitatione statutum possit alterari, mutari, aut dispensari verbo tenus, vel secreta, & clandestina aliqua dispensatione, seu exceptione; aliàs tales reuocationes, dispensationes, aut exceptiones irritæ sint.

7. Porrò si aliquid iusta de causa occurrente, alterandum, seu dispensandum esse iudicetur ex ijs, quæ ad Abbatem, Conuentum, vel singularem aliquem Monachum spectant, supplicatio in scriptis ab Abbate, maiorique Consultorum parte sub-



signata Authori Visitationis offeratur, responsumque, ac decretum illius, quodcumque sit in Capitulo pleno legatur (alias quando ibi non fuerit promulgatum, omnia sicut antea in suo robore sint, & vigore, perindeque obligent, ac si dispensatio non extaret.)

8. Omnia denique, quæ in progressu huius Constitutionis, circa Visitatores à nobis sunt statuta, præcepta, aut prohibita eadem volumus, vt Reuerendissimus in Visitationibus suis sub iisdem præceptis, ac pœnis obseruare teneatur.

9. Permittimus tamen, vt rationabili causa impeditus onus visitandi possit delegare Monachis duobus, aliis idoneis ætate, morum grauitate, ac literarum peritiis, quibus iusiurandum præstabit, vt iuxta prædicta Visitationis legationem obeant. Hi autem delegati eodem modo, quo Visitatores recipientur, eundemque locum, ac sedem pro Visitoribus actu visitantibus supra designatum, in Choro, Refectorio, & Capitulo infra Abbatem habebunt. Finitaque huiusmodi delegata Visitatione, processum illius, & acta tradent Visitores commissarij Reuerendissimo; & si aliqua dispensatio in ijs, quæ visitando præceperunt petenda sit, non ab illis, sed à Reuerendissimo supplicabitur.

## CONSTITVTIO VII.

De Diffinitoribus, Diffinitorijq; iurisdictione.

### CAPVT PRIMVM.

*De Auctoritate Diffinitorum, & ijs, quæ seruari tenentur.*

1. **S**VPREMVM Diffinitorij tribunal, quinque Diffinitoribus constans (quorum primò electus non maior, sed Diffinitor primus dicatur) Maiorum nostrorum vestigijs insistentes, tum ob alias rationes, tum ex eo vel maximè statumus, ac stabilimus, vt in eo quinque viratu innocentiæ præsidium, iustitiæque patrocinium præstò semper adsit, ac perennitèr conseruetur.



2. Electus ergo Diffinitor Primus, vt supra Constitutione tertia, decernimus, vt expirante Generalis munere, ipse vsque ad electionem alterius præsideat in Capitulo, Choro, & Refectorio, & in ijs, quæ in vtroque foro ad Capitulares spectant.

Non poterit tamen in Monasterijs Congregationis aliquid innovare, aut mutare, aut præcipere (cum Potestas ad præcipiendum in toto Capitulo immediatè tunc temporis insit) nec regimini Domus, in qua Capitulum celebratur, quoad spiritualia, aut temporalia se ingerere. † Si enim hæc, ipsum fuerit Monasterium Reuerendissimi, gubernatio illius tunc temporis penes Priorem erit, ad nouam vsque Generalis electionem.

† Si autem aliud fuerit Monasterium, Abbas illius gubernationem ipsius prosequetur, vsquequo Abbates suis abſoluatur officijs, deinceps verò Prior ad actualem vsque noui Abbatris possessionem.

3. Decernimus in super, vt si Monachus aliquis absens electus fuerit Diffinitor primus quandiu ille non aduenerit, & iuramentum non acceperit, Diffinitor secundus (modo prædicto) præsideat, similiter etiam si præsens ille in lecto agrotauerit, aut alio legitimo impedimento fuerit detentus.

4. Ad munus Diffinitorum spectat (præter alia, quæ suis locis specialiter annotantur) iudicare grauamina Monasterijs, Prælati, aut subditis illata, siue à Visitatoribus, siue à Reuerendissimo. Quo circa, vt facilius congregari possint non nimium distantes, singuli tamen in singulis Monasterijs commorentur,

5. Quoad locum in Choro, Refectorio, & huiusmodi alijs eisdem fruantur priuilegijs, quæ Constitutione præcedenti capite 1. numero 4. & sequentibus, Visitatoribus conceduntur.

6. Mandamus autem, & statuimus, vt tam Diffinitores ipsi, quam Visitatores in Monasterijs in quibus Conuentuales existunt, Chorum sicut alij Monachi, diu, noſtante frequentent, (saluis tamè priuilegijs, ratione ætatis, vel quouis alio titulo per leges illis concessis:) Culparum Capitulis ferijs tertijs, & sextis inter sint: In Refectorioque eisdem vescantur cibis, quibus Conuentus vescitur, & cum eodem ieiunante ieiuneat, nec dispensandi cum illis ratio præcisa sit dignitas officij, nisi vera adsit necessitas, & indigentia persona.

Ad hæc, si sacris literis fuerint eruditi à munere prædicandi,



a iudicet,  
3.9.7.

non desistant, sed Prædicatores Monasterij coadiuuent, in cæterisque Obseruantijs regularibus ita se habeant, vt sicut Religionis sunt optimates, ita exemplo sint primores, non verbo tantum, sed opere potissimum, Monasticam disciplinam regulariazque instituta propugnantes, ne cum alios iudicauerint, in se ipsos sententiam ferant.

## CAPVT SECVNDVM.

De Iurisdictione Diffinitorum, & grauamini-  
bus ad illos spectantibus.

1. **C**VM vel ipsum Appellationis nomen in ore Monachi turpe sit, turpiusque extra domesticos Religionis patrietes Monastica negotia trahere, forensiq; strepitu euulgare: nè ex hoc capite Religiosa quies dissoluatur, & decor, atque splendor Religionis denigretur, nè item ex alio naturalis defensio alicui videatur denegari, statuimus vt quicumque iniuste, opprimi, & grauari à Visitatoribus, vel à Reuerendissimo tam in Visitatione, quam extra illam, rationabiliter crediderint, Diffinitorij iudicium possint implorare, ac per modum querelæ ad illud recurrere.

2. Ne autem huiusmodi prætextu Obedientiæ patientiæque meritum friuolis sæpe querelis euacuetur, & regulare supplicium passim declinari præsumatur, decernimus, vt in casibus tantum subsequentiibus, aut alijs, suis locis specialiter annotatis, ad præcitatum implorationis remediū Monachis liceat conuolare.

*Primo*, Si Reuerendissimus, vel Visitatores aperte contra leges aliquid faciant, aut præcipiant, & debita reuerentia admoniti in præcepto adhuc persistent.

*Secundo*, Si Reuerendissimus, aut Visitatores pro libito noluerint causam alicuius inceptam per sententiam diffinitiuam finire, & iudicare, sed indecisam, & quasi suspensam habere.

*Tertio* Priuatio vocis aGruæ, aut passiuæ cuiuscunque Monachi: Priuatio item, aut suspensio officij Abbatis, vel Præsidentis.

Quarto



*Quarto*, Prinatiō muneris Visitatoris, Diffinitoris, aut alterius Capitularis, Prioris, Regentis, Lectoris, vel Prædicatoris, aut à numero studentium Philosophiam, aut Theologiam alicuius ob culpas priuatiua eieciō, vel Procuratoris Curialis remotio.

*Quinto*, Pœna reclusionis, carceris, nerui, aut ergastuli, si spatiū dierum quindecim superet, si autem spatiū prædictæ pœnæ breuius sit, implorationem Visitatores admittere non permittimus.

3. Monachus ergo, qui in aliquo ex prædictis grauari se senserit, vbi primū sententia Diffinitiuā à Reuerendissimo, seu Visitatoribus illi fuerit promulgata, si ad defensionem sui pertinere existimauerit, ac voluerit, præmissis *Benedicite*, humiliter dicat: *Sententiam reuereor, Diffinitorium tamen imploro.* Qua imploratione interposita, Socius Reuerendissimi, vel Visitator secundus fidem illius in Actis faciant, ipseque Monachus implorans subscribat, & statim infra octo dies immediatè subsequentes, processus, & Acta, virtute quorum sententia prolata est, ad Diffinitorem primū transmittantur fideliter transscripta, & subsignata à Reuerendissimo, & Socio, vel ab utroque Visitatore. Quod Iudices, siue Visitatores sint, siue Reuerendissimus, aut Commissarij illius, in *virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ*, ad implere teneantur.

Quod si obseruare contempserint, Diffinitor primus certior factus, quibuscūque pœnis, ac censuris ad prædictam Actorum traditionem eos poterit cogere.

8. Actis tandem ad Diffinitorem transmissis datisque literis, dici, Mensis, & Anni traditionis illorum, ipse Diffinitor primus infra alios octenos dies proxime subsequentes, Diffinitores Consiliarios in *virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ*, conuocabit: ipsique cōgregatis, Diffinitore primò præidente, Acta in simul perlegantur, quibus perlectis, & expensis, à singulis (si opus fuerit) sigillatim reuisis, breui manu, atque summa reuerentiā iustitia administrantur.

9. Priusquàm vero Diffinitores sententiam ferant, merita causæ conferant inter se, ac deinde per calculos albos, ac nigros suffragentur, an sententia à Reuerendissimo, seu Visitatoribus



totibus lata in totum debeat annullari. Quòd si plura suffragia cõcurrant, pro ea totaliter annullanda, in totum improbetur, & irritetur. Iudicesque qui eam tulerunt in residentia Capituli Generalis secundùm exigentiam cause puniantur. Si autem è conuerso, maior suffragiorum pars iudicet eam non debere totaliter improbari, tunc iam secundò suffragentur super confirmationem illius, & si plures iudicauerint eam non debere in totum confirmari, sed aliquo modo moderari, agant tertio de certa aliqua modificatione, & moderatione, quod tandem per calculos decidatur, si vocaliter suffragantes discordes fuerint.

6. Præcipimus autem, quòd si constet implorationem omnino fuisse iniustam, causa, & fundamento carentem, non solum sententia lata confirmetur, sed etiam pœnæ illius augeantur; Copia vero sententiæ à Diffinitorio prolata mittatur, tum ad Reuerendissimum, tum etiam ad Abbatem, seu Priorem Monachi implorantis, vt eam illi promulget, atque denunciât.

7. Porro si Reuerendissimus, vel Visitatores absque sententia in scriptis redacta, sed verbaliter tantum simpliciter mandato præcipientes, in aliquo ex prædictis Monachum aliquem grauauerint, Monachus sic grauatus Diffinitoriũ (vt supra) poterit implorare, intra biduum tamen supplicationem grauaminis sui à se subscriptam ad Diffinitorem primum tenebitur destinare, alioquin præceptum seu penitentia imposita executioni mandetur.

8. Diffinitor verò, postquam receperit supplicationem, ad Reuerendissimum, vel ad Visitatores eam statim transmittat, vt in scriptis subiungant quidquid eis respondendum videbitur, pro iustificando præcepto, seu pœna, quæ est materia iactæ grauaminis, atque intra triduum dabitur huiusmodi responsio, & cum supplicatione prædicta ad Diffinitorem primum sigillata iterum transmittetur. Quod vt nõ aliter ex malitia fiat præcipimus in *Virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna Excommunicationis ipso facto*. Tunc iam Diffinitor primus conuocet reliquos Diffinitores, & in cæteris procedat vt supra.

9. Statuimus, & ordinamus, vt imploratione interposita quãdiu causa à Diffinitorio pendet, sententia, seu præceptum Reuerendissimi, aut Visitorum, nec partim, nec in totum executioni mandetur: Monachus tamen, vel Abbas implorans

Diffini-



Diffinitores ipsos non poterunt adire, nisi ab illis fuerint accersiti, vel ab illis licentiam obtinuerint adeundi, aliàs subditus pœnam carceris per spatium mensis ab ipsis Diffinitoribus imponendam subeat: Abbas verò ad arbitrium puniatur. Poterit tamen implorans nouas defensiones in scriptis exhibere, pleniorẽque informationem supplicare.

10. Quòd si plenior informatio, seu inquisitio, vel ad petitionem partis, vel ex Diffinitorij iudicio requiratur, duobus Diffinitoribus demandetur, vel Monachis aliàs idoneis, qui iuramento à Diffinitorio, vel ab alio ex commissione ipsius prius accepto, eam fideliter peragant, poteruntque ad executionem illius præcepta, censuras, & quascunque alias pœnas imponere.

11. Statuimus insuper, vt sumptus, & expensæ in his causis grauaminum fiant, & soluantur ex Monasterio in quo Monachus implorans Cõuentualis existit, atque ad executionem huius Cõstitutionis poterunt Diffinitores pœnis, & præceptis procedere.

12. Statuimus denique quòd si Diffinitorum aliquis legitimo impedimẽto fuerit detentus, per literas iuramento firmatas se esse legitime impeditum Diffinitorio notum faciat, præcipimus autem, quòd non malitiosè, & ex instituto prædictum impedimentum procuret, vel fingat, vt iudicandi onus declinet.

13. Porrò vt in huiusmodi euentu quinarium Iudicium conficiatur, eligatur Monachus aliàs habilis, & idoneus, annosque habens ad Diffinitoris munus requisitos, qui Diffinitoris impediti vicem suppleat. Quòd si duo impediti fuerint, duo quoque eligantur substituti; si autem tres, vel plures reperiantur impediti, expectetur quòd tres saltem Diffinitores possint congregari, (nisi iudicio Reuerendissimi periculum sit in mora.)

14. Electores autem illorum, qui tanquam substituti sunt eligendi, erunt ceteri Diffinitores residui, & Abbas, vel Præsidentis illius Monasterij, in quo Diffinitorium congregatur, Prior, vel Monachus habitu senior eiusdem Cœnobij, concurrentibus ex prædictis Patribus secundum ordinem quo hâc nominantur quotquot fuerint necessarij ad integrandum numerum quinque electorum: volumus autem vt electores isti voce passiuæ careant in electione faciendâ Diffinitoris substituti.

15. Decernimus, quod idem seruetur in duplici casu; Primò, si aliquis Diffinitorum habeat cognationem intra quartum gra-



dum, vel cum implorante, vel cum Iudice à quo fuit imploratum. Secundò, si implorans fuerit Abbas, vel Monachus illius Monasterij in quo Diffinitorum aliquis Conuentualis est, tunc enim Diffinitor ille vel quia cognatus, vel quia Conuentualis, Iudex non erit, sed loco illius Monachus alter (modo quo supra) eligatur.

16. Quod verò attinet ad locum pro huiusmodi causis implorationis tractandis, statuimus, vt in Conuentu Diffinitoris primi tractentur: si autem fortè contingat, quòd implorans sit ipsemet Abbas, vel Monachus illius Conuentus, tunc in domo Diffinitoris sequentis non impediti Diffinitorium congregetur ipseque Diffinitor præsideat, ac in cæteris, vt supra, procedatur.

### CAPVT III.

#### De Punitioe culparum, & causis priuationis Diffinitorum.

1. Statuimus primò, vt Diffinitores in omnibus sicut alij, Abbatibus suis subijciantur, ijs tantùm exceptis, quæ ad munus suum spectant, ad cuius exequutionem necessaria præstare tenebitur Abbas sub pæna suspensionis trimestris ab officio suo.

2. Statuimus secundò, vt de culpis à Diffinitoribus commissis in exequutione muneris sui apud syndicatum tantùm Capituli Generalis possit cognosci, de alijs verò personalibus, ac personis illorum poterunt Reuerendissimus, ac Visitatores in actu Visitationis, sicut de quibuscunq; alijs Monachis inquirere ad morum correctionem, & emendationem.

3. Volumus tamen quod non possint priuari officio suo, nisi propter culpas subsequentes. Primò, propter culpam personalem, quæ habet annexam priuationem officij, vel pœnam Excommunicationis ipso facto incurrendæ, Secundò, propter incontinentiam contra votum castitatis. Tertiò, propter aliud quodcunq; delictum personale fornicationi simile, vel grauius, vel grauius scandalizans.

4. Si tamen Diffinitorum aliquis in casibus implorationis

granari



grauari se sentiat, Diffinitorij tribunal implorare poterit, Reuerendissimus verò tenebitur (vt supra cap. 2. num. 3.) processum culpæ ad Diffinitorem antiquiorem transmittere, qui etiam (prout præcipitur loco citato, numer. 4.) tenebitur conuocare Diffinitores alios, & vnum ex Visitatoribus alternatim, ita vt ad primum casum Visitator primus conuocetur, ad secundum secundus, & sic in cæteris, vt ex omnibus Quinqueuiratus constetur ad prædictam causam, modo quo supra, iudicandam. Quod si Visitator vocandus ægrotauerit, vel legitime sit impeditus, alter vicem illius suppleat: si autem vterque vel absens à Durimonia, vel legitime impeditus sit, Iudex quintus eligatur, modo quo supra capite præcedenti n. 13. & 14.


5. Si autem imploratio Diffinitoris ex inquisitione, & sententia Visitatorum nascatur, tunc mittant Visitatores processum culpæ ad Reuerendissimum, qui conuocet alios quatuor Diffinitores, & omnes insimul congregati, modo quo supra, causam iudicent, ac determinent. Si autem Reuerendissimus à prædicta Prouincia absens, vel legitime impeditus sit, processus culpæ ad Diffinitorem antiquiorem mittetur, qui cæteros conuocabit, & omnes quintum Iudicem eligent, modo quo supra cap. præcedenti num. 13. & 14.

## CONSTITVTIO VIII.

### De cæteris Ministris Congregationis.

#### CAPVT PRIMVM.

#### *De Iudicibus causarum.*

1.  D munitur trium Iudicum causarum (quos à Reuerendissimo in prima sessione Capituli supra designari statuimus) pertinet controuersias, aut lites inter Monasteria aliqua, aut Monachos circa res temporales, summam viginti aureorū non excedentes, iuxta allegata, & probata, summarie dirimere, ac iudicare: (controuersia enim quæ summam illam excedunt ad Reuerendissimum pertinent.)

L 2 Ad



2. Ad munus etiam illorum spectat Monachos audire, qui aliquid indumenti, aut quidvis aliud secundum leges donandum supplicant. Famulos item, aut alias personas, quæ mercedem debitam repossunt.

3. Infimæ Triumviri congregati loco aliquo determinato litigantes audiant, & iudicium exerceant, alioquin illorum decretum nullius sicut roboris, iuniorque inter illos Secretarij vicem subibit.

4. Poterunt prædicti Iudices, in huiusmodi causis vtraque parte audita, sententiam simpliciter ferre, vel etiam si opus sit præcepta, pœnas, & censuras addere, vt facilius sententiæ latae executioni mandentur.

5. Præcipimus autem, vt nemo, nec etiam Reuerendissimus possit huiusmodi sententias irritare, aut in eis dispensare: liberum tamen erit Reo, vel Actori à sententia in hoc iudicio lata ad Difinitorium, vel Capitulum Generale prouocare, vbi tandem causa finietur.

6. Causæ in hoc iudicio tractatæ in Codice quodam peculiari scribantur, qui in Monasterio primatæ asseruetur, & ad Capitulum Generale singulis triennijs deferatur.

## CAPVT SECVNDVM.

### De Relatore, seu Secretario Capituli.

1. **R**elatoris munus est in Capitulo Generali, atque etiam in Difinitorio Secretarium, seu Notarium agere, & omnia vtrobique decreta difinita, aut statuta fideliter exarare, omniumque fidem facere, supplicationes, epistolas, aliasque literas ad Capitulum destinatas colligere, & coram omnibus legere, ac proponere.

2. Licet autem Relator votum habeat in Capitulo decisiuum, in Difinitorio tamen caret illo (nisi aliud in speciali aliquo casu annotetur.)

3. Statuimus, vt ea, quæ in Capitulo, vel Difinitorio in singularibus sessionibus fuerint decreta, electiones, ac cetera omnia in duplici libro ordinatim scribantur, quorum vnus Relatoris erit, & in domo Generalis asseruetur, alter verò Difinitoris primum, qui



qui cū plenè fuerit exaratus, in Archivio Monasterij Sancta Mariae Columbensis recondatur.

4. Initio cuiusque sessiōnis ex libro recitabit Relator quid in precedenti fuit statutum, ut perpendatur an sicut fuit decretum, ita fideiiter sit exaratum.

5. In supplicationibus item in Capitulo, vel Diffinitorio perlectis decretum ipsius Capituli, vel Diffinitorij subiūget, & solus ipse subscribet, solique subscriptioni suae plena praestabitur fides.

6. Quòd si alicuius falsitatis fuerit conuictus, officio suo priuetur, & à Capituli gremio expellatur: si autem materia gravis sit, voce actiua, in super, & passiva perpetuò careat.

### CAPVT TERTIVM.

#### *De Socio, & Secretario Reuerendissimi, Procuratoribusque Curialibus.*

1. **A**D Socij munus, & Secretarij pertinet Reuerendissimum comitari, eumque coadiunare in functione muneris sui.

2. Ad Socium autem specialiter spectat Monasteria cum Reuerendissimo visitare; in ipsis Visitationibus, & quacunque alia inquisitione à Reuerendissimo facienda, Notarij vices agere: Consilijs, & Capitulis Visitationum interesse, proclamationes, atque Visitationes legere, & delinquentium sententias promulgare, fruente Reuerendissimo Episcopali à prerogatiua, sententias scilicet ab eo latas per alium recitante.

Licet autem, nec in Visitationibus, nec in quavis alia sententia à Reuerendissimo ferenda, votum Socius habeat decisivum, consultivum tamen habere poterit. Decreta, & alia scripta, quae ad iustitiam pertinent, scribet. Priorem praecedet. In Mensa maiori locum habebit, & si cum alijs Capitularibus concurrerit, ordinem sedendi in Capitulo Generali servabit.

Si tempore Visitationis Socius legitime fuerit impeditus, Reuerendissimus substitutum eliget, qui iuramento accepto Socij vices subibit.



3. Ad Secretarium verò specialiter pertinet Epistolas, ac Diplomata Reuerendissimi, licentiasque Monachorum scribere, & ratiocinia in Visitationibus cum duobus Monachis designatis accipere.

Primus à Choro dextro tum in Monasterio Reuerendissimi, tum in alijs, Visitationis tempore infra illos, qui Mensa maiori gaudent, Secretarius ipse sedebit; nisi in alijs Monasterijs alio ex capite altior ei locus debeat.

4. Quòd attinet ad Procuratores Curiales cum munus illorum magnæ sit cõfidentia, ipsique coram personis literis, ac nobilitate conspicuis cõmuniter versentur, statuimus vt munus illud non nisi Monachis morum grauitate, probataq; religione insignitis demandetur, quique seduli, ac solertes sint, & quoad fieri possit, literis eruditi, vel alijs naturæ dotibus præditi, quæ literarum suppleant defectum.

5. Primum locum à Choro dextro, sicut de Secretario diximus, obtinebunt; Benedictione accepta, ad negotia porerunt exire, quoties fuerit necesse, cum verò à negotijs vacauerint, Chorum actusque Conuenticales frequentent.

6. Statuimus, quòd Procuratores Curiales negotia, seu causas alicuius personæ extraneæ minime tractent absque licentia Abbatis sui, aut Reuerendissimi, alioquin ab officio suo ad arbitrium Generalis suspendantur.

7. Si verò ipsorum aliquis in causis, vel negotijs Religionis fuerit infidelis, procurando scilicet loquendo, scribendo, monendo, secreta detegendo, scripta tradendo, vel aliud quid simile palam, vel clandestinè in fauorem partis aduersæ, seu contra Religionem faciendo, vel aliquid ad iustitiam ipsius Religionis pertinens malitiosè, & ex instituto ommittendo, ab officio suo si materia fuerit grauis, irremissibiliter priuetur, voceq; actiua, & passiuè per decennium careat.

8. Procurator Bracharensis, quoad absolutionem quæ feria secundâ Quadragesimæ impenditur, & quoad Suffragia pro fratribus defunctis offerenda, Conuenticalis reputabitur Monasterij Tibanensis.

LIBER





# LIBER SECVNDVS

DE IIS, QVÆ AD SPECIALE  
Monasteriorum regimen spectant.

## CONSTITVTIO I.

De Abbatibus:

### CAPVT I.

*De Receptione, & actuali possessione  
Abbatum.*

I. **R**OSTQVAM Abbas modo, quo suprà electus fuerit, & confirmatus, Priorem Monasterij admoneat, vt eum de necessarijs ad Monasteriũ adeundum prouideat: cùmque iam appropin-  
quauerit, cymbala festiue pulsentur, Priorque, & Conuentus in Choros distributus ad fores Ecclesie illum venientem recipiat, atque aspergillum porrigat, vt ipse se, & circumstantes aqua lustrali aspergat. Deindè ad Sacellum maius procedatur, & super paratum tapetum Abbas ibidem procumbat, regularique benedictione accepta, omnes immediatè ad domum Capituli cum silentio tendant, vbi cunctis confedètibz, Abbas diploma confirmationis sue Cantori maiori coram omnibus legendum tradat, quo perlecto, Cantor ipse solemniter intonet Hymnum, *Te Deum laudamus*, & processionaliter Conuentus ad Ecclesiam redeat, Abbasque (vt suprà) prostretur, & Prior cantan-



cantando dicat hos Versus cum Oratione sequenti. Vers. *Saluum fac seruum tuum Abbatem nostrum Alleluia.* Resp. *Deus meus sperantem in te Alleluia.* Vers. *Mitte ei Domine auxilium de sancto, Alleluia.* Resp. *Et de Sion tuere eum Alleluia.* Vers. *Dominus vobiscum, &c.*

Orémus.

**D**EVS omnium Fidelium Pastor, & Rector famulum tuum Abbatem nostrum, quem gregi tuo praeesse voluisti propitius respice, & da ei quaesumus verbo, & exemplo, quibus praestit proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

2. Deinde surgens Abbas in Cathedra ad cornu Evangelij parata sedeat, Priorque primò coram eo genuflexus obedientiam illi praestet manum deosculans, & Sigillum Monasterij tradens: post Priorem verò singuli alij ordinatim sequantur Monachi, Officialisque claves officinarum suarum pedibus Abbatis subijciant.

3. Hac solemnitate Abbas recipiatur, non tamen Praesidens, qui in casu suspensionis praeficiendus erit.

4. Abbas quàm primum potuerit Priorem ceterosque Monasterij Ministros constituat, interim tamen dum aliter non disposuerit, omnes sicut antea munera sua exerceant.

## CAPVT II.

### De ijs quæ potest, ac facere tenetur Abbas.

1. **A**BBAS modo, quo supra electus, & confirmatus, licet benedictionis munus non acceperit, ac si benedictus foret, potest a ex indulto Apostolico Monasterium regere, & omnes actus in ipsis exercere, atque insignia deferre, & omnia alia facere, quæ ad Abbates exemptos in suis Monasterijs, & Ordinibus pertinere noscuntur.

2. Primò igitur possunt Abbates, & Praelati Congregationis nostræ, cum Monachis sibi subditis dispensare, eisque licentiam, & auctoritatem concedere in omnibus casibus, quibus de  
Iure



*iure communi*, Monachis ipsis necessaria foret auctoritas, Jicentia, seu dispensatio Ordinariorum, si ab eis exempti non essent.

3. Secundò, quoad Monachos sibi subiectos, possunt Abbates in foro conscientie tantum (*per seipfos* tamen, ex vi indulgenti Pij V.) idem omninò, quod possunt Episcopi in sibi subiectos, tam quoad facultatem absolvendi, & dispensandi in Irregularitatibus, tam quoad alias quascunque facultates ipsis Episcopis concessas in Tridentino bsessione 24. cap. 6.

4. Possunt etiam, ex indulto Bonifacii IX. & absolvere Monachos sibi subditos in omnibus, & singulis casibus, in quibus Summus Penitenciaris Romanæ Ecclesiæ ex suo officio absolvere potest.

5. Possunt præterea absolvere Monachos sibi subditos ab omnibus, & singulis pœnis, & censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, Papæ etiam reservatis.

Quod verò attinet ad casus Bullæ Cœnæ, licet plures, eos ab illis absolvere posse negent: plures etiã absolvere posse affirmant in foro conscientie tantum ( dummodò casus illi non sint publici, sed occulti: ) exceptis quinque, quæ à Sixto IIII. & Julio II. specialitèr excipiuntur, nimirum *relapsus in hæresim, schisma, literarum Apostolicarum falsificatio, delatio prohibitorum ad infideles, & conspiratio contra Romanum Pontificem.*

6. Possunt Prælati dispensare in foro conscientie, cum Monachis sibi subditis, super omni Irregularitate, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reservat (scilicet in homicidio voluntario, obtruncatione membrorum, & enormi sanguinis effusione) dummodò crimen notorium non sit, & hoc propter scandalum.

7. Possunt Prælati dispensare, & commutare omnia veta subditorum suorum, & que libe iuramenta sine præiudicio tertij illis relaxare.

8. Possunt etiam Abbates secundum declarationem sacre Congregationis Interpretum Tridentini ex privilegio Sedis Apostolicæ sacramentum Confirmationis conferre, de consensu tamen Ordinariorum.

9. Possunt etiã Primam tonsurã, & omnes minores Ordines Monachis sibi subditis impendere, & secundum declarationem sacre Congregationis, eosdem etiam Ordines possunt sacu-

a Pius V.  
predicatoribus.

b C. licet  
Episcopis.

c Bonif. IX.  
Olivetanis.

d Beneficent.  
XIII. c. 11.

e Greg. XI.  
& Jul. II.

f Megallius  
3. p. lib. 1. c. 7.

n. 26. & 1. p.  
lib. 1. c. 13. n.

10.  
Emmanuel

tom. 1. q. 9.  
20. art. 3. 1.

Capucinus  
lib. 1. de cas.

reservat. 1. p.  
sect. 1. ar. 23.

Soula disp.  
100. Vega, &  
alij.

g Martin. V.  
Vallisoletano.

h Clem. VII  
sess. 7. c. 2.

canone 4.  
Grassij, &

Quaranta.  
l Trident.

sess. 23. c. 10.  
m Ibidem, &

Grassij in ad  
dit. fol. 84.



laribus Episcopi iurisdictioni subditis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo pro se quisque literas dimissorias impetrauerit, ita vt satis non sit id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus est singulis.

9. Possunt etiam Abbates prædictos ordines conferre alijs Regularibus, & qui dimissorias/speciales suorum superiorum, nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint, in quo ordines huiusmodi suscipere cupiunt.

10. Possunt insuper Abbates ex <sup>b</sup> Indulto Apostolico Missam cum Mitra, & annulo, alijsque Pontificalibus insignijs celebrare, & etiam <sup>c</sup> benedictionem solemnem post Missarum Vesperarum, & Matutinarum solemnias in quibuslibet Monasterijs, domibus, atque locis Ordinis elargiri: nec non corporalia, & alia quæcunque ornamenta Ecclesiastica, vasculaque ad imponendam sacram Eucharistiam in domibus, & locis Ordinis benedicere, Aras item, seu Altaria, Calices, & Patenas sacro Crismate consecrare, siue prædicta pro Monasterijs sint necessaria, siue aliundè pro vsu aliarum Ecclesiarum deferantur.

11. Possunt denique Abbates <sup>d</sup> Ecclesias Ordinis, Cæmeteria, Capitula, & Oratoria; nec non in ædificandis <sup>e</sup> Capellis, aut Ecclesijs primum lapidem, & fundamenta Pontificali more benedicere. Licet autem Ecclesia, quæ solùm fuerit benedicta, & non consecrata, si violari contingat <sup>f</sup> per quemcunque simplicem Sacerdotem reconciliari possit; Monasteria tamen, & Ecclesia Ordinis, etiam si sint consecrata, & quacunque ex causa polluuntur ab Abbatibus possunt reconciliari, cum aqua tamen ab Episcopo, vt moris est, benedicta. Porrò, si Episcopus qui illam benedicat distervltra duas dietas (quatuordecim <sup>h</sup> scilicet leucas) aquam ad reconciliandam Ecclesiam poterit Abbas ipse benedicere.

12. His ergo præmissis, statuimus primò, vt Abbates prædicta curent exercere, Monachosque sibi subditos clericali tonsura, Minorumque Ordinum caractere insigniant, vel ad Reuerendissimum transmittant: Ad Abbates verò alios non nisi habito consensu Episcopi iuxta indulti, seu prædictæ declarationis tenorem.

13. Statuimus secundò, vt singuli Abbates Urbici, & Oppidani



dani, aliorumque nobilium Conuentuum semel saltem in triennio Missam cum Pontificijs insignijs celebrent; omnes verò diebus sequentibus benedictionem solemnem Episcopali more post Vesperarum, & Missarum solemniam impendant.

In die Natiuitatis, & Resurrectionis Dominicæ, in die Pentecostes, & in die Assumptionis Beatæ Mariæ, in Transitu, & Translatione Sancti Patris nostri Benedicti, in Festo Patroni Monasterij, & post Missas processionū solemnium sacrosanctę Eucharistiæ, & Rosarij Beatæ Virginis, quæ annuatim solent fieri.

9. Ad hæc etiam decernimus, quod si aliquādo cōtingat Abbatem alicquem Refectorio, vel Choro interesse, Abbate proprij Monasterij absente, Abbas ille præsens, non Prior benedicat.

10. Præcipimus deindè vt Abbates sanctam Regulam ob oculos ante omnia proponant, atque caput 2. & 64. sepe sæpius legant, vt ad illorum præscriptum, & doctrinam tanquam ad speculum se ipsos componant, curentque, vt in eis vigeat, ac luceat, sincera erga Deum religio, paterna erga subditos charitas, studiosa erga leges obseruantia.

11. Illud porro eos in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quā in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac proindè omni studio inuigilent, vt quæ in sancta Regula, & his Constitutionibus de Oratione mentali, Silentio, Ieiunijs, Capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs & religiosa disciplina pie sancita sunt, ea omnia, & singula, ad vnguem obseruari faciant, intelligantque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda esse, & amplianda.

12. Vt autem hæc facilius exequantur, & ne propostero regimine Abbates temporalibus incumbant, & spiritualia alijs commendent, præcipimus, vt in Choro, Refectorio, cæterisque actibus Conuentualibus ouibus suis ducatum præsent, suaque præsentia animos illis adhibeant, vt suauius, perfectius, ac sine murmuratione Religionis onera portent. Quod si aliqui in prædictis culpabiles fuerint inuenti, à Reuerendissimo, & Visitatoribus, exemplari suspensione ab officio suo puniantur.

13. Non solum autem Prælati actibus Conuentualibus interesse tenentur, sed etiam in Conuentibus suis residere; vnde cum absente Pastore facilè ones aberrant: statuimus, vt extra

Constitutio  
Clementi  
nu. 38.



septa Monasterij, non nisi legitima interueniente causa egrediantur, neque sine speciali licentia Reuerendissimi in scriptis obtinenda, vltra decem dies continuos à Monasterio absint, alioquin, si prædictum terminum transierint, voce a ceteris careant in Capitulo Generali.

Frequentes etiam alias egressiones quoad fieri possit euent. Quod si de assiduitate, & frequentatione illarum absque rationabili causa fuerint notati, in Visitatione coercentur, prædictæque egressiones sub aliqua pena illis limitentur. Et si non emendauerint, exemplari suspensione ab officio plectantur.

Cum verò exierint ( auctoritatis ergò ) quoad fieri possit, sociati exeant Abbates præsertim Urbici, seu Municipiales cum ad urbem; seu Municipium egrediuntur.

### CAPVT III.

#### De ijs, quæ Abbatibus prohibentur.

1. **C**VM bonis pauca præcepta sufficiant, & innumera multis non sint satis, statuimus primò, vt Prelati à multitudine præceptorum se abstineant, ne suauè iugum Domini graue subditis reddatur, neque præcepta virtutis sanctæ obedientiæ in rebus minimis imponant: cum materia præcepti ad mortale obligantis, vel ex se, vel ex circumstantijs, & proportionè ad finem lege intentum, grauis esse debeat: quod prudenti illorum arbitrio iudicandum relinquimus.

Pænis potiùs corporalibus, & infallibili illarum executione, subditos in officio suo continere nitantur, accedente quoque Pastoralis vigilantia, Præpositorum enim sollicitudo subditorum est cautela.

2. Quod verò attinet ad censuras, cum Excommunicationis pena in Ecclesia nulla sit maior, sobriè, magnaque circumspectione, iuxta doctrinam sacri Concilij huiusmodi Excommunicationis gladius exercendus est. Vnde statuimus, quòd Prælatorum nemo, Excommunicationem ipso facto Conuentui possit imponere, nisi prius consultis Patribus Consularijs, suffragantibusque



busque per calculos albos, ac nigros, maior infragiorum pars censuram ferendam approbet.

Aliquibus autem, seu singulis scorsim Monachis in materijs præsertim, quæ vota solemnia concernunt, aliqua sub Excommunicationis pœna nemine consulto poterunt præcipere, aut prohibere, si id in Domino salubriter expedire iudicauerint. Quòd si contra tenorem huius nostræ Constitutionis fecerint, censuræ ab illis, aliàs latæ nullius sint roboris.

3. Circa temporalia verò prohibemus primò Abbatibus ne controuersias, aut dubia, quæ inter illos, seu illorum Monasteria emanauerint, coram Iudicibus Ecclesiasticis, aut Sæcularibus extra Ordinem ventilare præsumant, sed solum coram Reuerendissimo legitimo ipsorum Iudice disceptent, alioquin annua ab officio suo suspensione plectantur.

4. Statuimus quoque, vt nullus Prælatorum litigium ponderis, ac momèti alicui extra Ordinem intédât, nisi prius duos saltem Iuris peritos consulat, & vterque litem inchoandam iustam esse decernat. Quòd si secus fecerit, semestrem ab officio suo suspensionem patiatur. Atque sub eadem pœna duplicata tamen præcipimus, vt huiusmodi lites sic iuste intentas Prælati successores prosequantur, nisi fortè progressu temporis, conuètio, & compositio aliqua à Iure consultis, atque Conuentu, consentiente etiam Reuerendissimo, vttilior iudicetur.

5. Non poterunt insuper Prælati per se solum redditus, seu decimas Ecclesiarum locare: agrorum titulos: Procuraciones Coñuentiones, aut contractus graues, Monasterij nomine facere, aut celebrare, absque consensu Conuentus Capitulariter cõgregati (vt mos est:) neque item pro futuro triennio prædictos redditus, seu decimas anticipata solutione locare, alioquin annua suspensione suspendantur.

6. Ne insuper Abbatialis dignitas, & authoritas vilescat, in præcipuis præsertim Conuentibus, in quibus Monachorum copia viget, præcipimus, vt Abbas qui Officialium est institutor, Officiorum exequutor non sit: cum indecens videatur æconomum illum potius, aut Cellerarium, quàm Abbaté præ se ferre. Vnde, neque manu propria in Rationalibus libris expensas scribat: neque per semetipsum redditus recipiat: neque pensionum solutiones, aut àpochas tradat Colonis: neque Vestiarij,



aut Cellerarij vicem subeat; sed Officialis deputatos cum subordinatione sibi debita, munera sua immediatè sinat exercere. Quòd si obseruare neglexerit in Visitationibus nullatenus maneat impunitus, sed iuxta exigentiam culpæ suspendatur.

7. Statuimus etiã, quòd Prælati, neque à Monachis sibi subditis, neque à sæcularibus, qui cū Monasterio aliquid habuerint neigotium, nec etiã ipsi subditi à sæcularibus prædictis acceptare possint donaria, quorum acceptatio Reuerendissimo prohibita est suprà lib. 1. Constit. 5. c. 4. num. 10. Alioquin acceptantes priuationem vocis passiuæ in Capitulo generali incurrant.

Non poterunt etiã Prælati sine consensu Concilij ex Conuentuali pecunia donare summam, quæ quinque aureos superet: nec sine consensu Conuentus donare poterunt summam quæ excedat aureos viginti.

*a C. Cateri de Donatio.* Donationes autè, elemosynæ, munera, seu (vt aiunt) seruitia ex rebus alijs, & bonis Monasterij vsu consumptibilibus, quæ grauis sint estimationis, & pretij de cõsensu saltem Concilij fiãt: meminerintq; Prælati se bonorum Conuentus dispensatores esse, non *b* dominos, prudentiaque, & fidelitate ad cõmunia rectè dispensanda opus esse. Quòd si aliquis in aliquo ex prædictis defecerit, excessumvè notatu dignum commiserit per sex menses suspendatur, alijsq; pœnis iuxta grauitatem culpæ plectatur.

*b C. Fraternitati:*

*c Paul. II. cum omnibus d C. Monasteriorum, de reb. non ali. in 6.*

*e Paul. II. Ambitiosæ f dist. 12. q. 2 sine exceptio ne. Cap. Tua nuper. de his quæ fiunt: g Cap. Nulli liceat.*

*h Gap. Monasteriorum, in 6.*

*i C. Ad aure C. Dudum in 6.*

8. Licet autem in omnibus prudens administratio requiratur; prudentiore, & cautiore proculdubio opus est, circa Ecclesiastica, seu Monastica bona alienanda. *Ubi non de proprio cuiusque peculio, sed de Christi Patrimonio agitur.* Cumque Iura Pontificia *d* suspensionis ab Officio, & Excommunicationis pœna *e* ipso facto, iniuste alienantes puniat, Abbasque sine Conuētu *f* bona immobilia, aut quæ eiusmodi censentur, alienare nequeat; statuimus, vt Abbates, & Conuentus Capitulariter congregati, non possint immobilia bona alienare *g* per venditionem, scilicet, donationem, permutationem, Emphyteusim perpetuam, vel hypothecam specialè, nisi primò euidens necessitas *h* vel utilitas, seu commoditas Monasterij interueniat. Conuentuq; cum Abbate simul suffragante maior pars consentiat: & nisi etiam secundo Reuerendissimi consensus, & facultas accedat, qui non nisi in scriptis, nec sine integra causæ cognitione huiusmodi consensum *i* præstabit, aliàs nullius valoris, & momenti existat.



† Præcipimus autem vt grauiores quascunque alienationes prius cum Conuentu tractentur, & vota illius excipiantur, vltima tamen resolutio ( etiam si ille consentiat ) in Capitulum tandem Generale referretur.

† Mobilia verò pretiosa ( quæ immobilibus æquiparantur <sup>a</sup> in Iure ) aurea, argentea, serica, & huiusmodi alia, si valorem aureorum centum non excedant, conditionibus prædictis vtilitatis, aut necessitatis concurrentibus, de consensu maioris partis Conuentus poterunt alienari; si tamen valorem illum superent ( interque sacras etiam Reliquias cõputamus ) nõ nisi deduarũ partium Conuentus assensu alienari permittimus.

† Arborum etiam sylvarum, fructiferarumque præsertim, nemora, oliueta, vinearum, & huiuscemodi alia, Arborumque grandiores quæ aditum, vel septum Monasterij ornant reseruari, aut destrui nõ poterunt, ( cum id etiam ad alienationem pertineat ) nisi ex parte causæ vtilitas, commoditas, aut necessitas Monasterij intercedat, & ex parte solemnitatis Consilium, & assensus maioris partis Consultorum.

† Greges item, & armenta cum non inter vsu consumptibilia numerentur, sed vltra Triennium seruando seruari possint dum morientibus subinde succedunt nascentia, proindeque ad immobilia reducuntur; <sup>a</sup> statuimus quod si prædicta, considerationis fuerint, ac momenti, non nisi de consensu saltem Consilij secundum se tota vendantur, aut omnino alienentur in casibus à Iure permissis vtilitatis nempe, aut necessitatis. Quæ verò grauioris fuerint ponderis, & substantiæ ( vt sunt pecuaria in villatico prædio Monasterij Olyfiponensis apud Salaciam, & huiusmodi alia ) non nisi de consensu Capituli Generalis secundum se tota poterunt alienari, vendari, & extinguere. Quod si Abbates in aliquo exprædictis, sub hoc numero octauo contentis, aliter fieri permiserint, vel facere præsumpserint, voce actiua, & passiuæ careant in Capitulo Generali.

9. Porro cum etiam Abbates sine Conuentu in Ecclesijs Iuris patronatus Monasterij sui ( secundum dispositionem b Iuris ) presentare nequeant, decernimus, vt presentationes huiusmodi ab Abbatibus fiant assentiente Conuentu, seu maiori parte illius infra tempus à Iure c præscriptum, nomineturque persona habilis, & idonea, & quam Patroni ipsi ( secundum

<sup>a</sup> l. lxx. & l. Titulos.

Glos. in l. v. nica Cap. si aduers. vlt. rar. l. i.   
 ( fuit questum. )

<sup>c</sup> Cap. Ea noscitur. de hys.   
 sunt ad al. sine   
 <sup>b</sup> Cap. Si laicus. de Iure patron. in c.

<sup>e</sup> sacrum



e Trident.  
 fel. 24.  
 Cap. 18.  
 d' Trident.  
 fel. 24. c. 19.

• sacrum Concilium Tridentinum, digniorem iudicauerint. Expectatiua autem, nec in Capitulo Generali neque in Conuentu concedantur. Ad presentandum denique in alijs administrationibus temporarijs, cuiusmodi sunt, Curatus annuarij, & Coadiutores Vicariorum ad nutum remouibiles, Abbates cum Consiliarijs tantum congregentur, & ab eis persona idonea vocaliter eligatur, ac nominetur.

Ne autem Abbates huiusmodi iura Patronatus donare, commutare, vel transferre in aliam quancunque personam Ecclesiam, vel Religionem presument, quin prius de hac re in Capitulo Generali, diligenter tractetur, precipimus omnibus, ac singulis in virtute sancte Obedientiae, & sub poena Excommunicationis ipsi facto incurrendae, ne predictas donationes auctoritate propria faciant, aut fieri permittant.

10. Non poterunt denique Abbates delinquentes illos qui ad Monasterium, vt ad sacrum confugiunt, vltra spatium diei, ac noctis (quoad fieri possit) retinere, neque Ministros Curiae saecularis illos insequentes, aut conquirentes repugnando impedire; Cum tamen teneantur immunitatem Ecclesiae (qua etiam Monasterij septa gaudent) sub lethali culpa tueri, illos a sacro asylo extrahi non permittant, absque expressa licentia Episcopi, seu Vicarij eius, (iuxta Diploma Gregorianum) vel saltem nisi prius summarie cognoscatur an patratore delicti immunitate gaudeat Ecclesiae (prout in ipsis Ordinationibus Regijs pie sancitum est.)

11. Vltimo tandem, praeter alia quae specialiter suis locis annotantur, prohibitu esse volumus Praelatis ne in Monasterijs, quorum Abbates sunt, consanguineos, aut affines suos, seu suorum subditorum subseruire, aut Pupillorum more comorari permittant.

## CAPVT QVARTVM.

### De Abbatibus suspensis.

QVONIAM saepe in his Constitutionibus suspensionis metio fit, vt tollatur omnis ambiguitas, oportet explicare



Explicare quænam Abbatibus suspensis sint prohibita: Licet autem nomen, *Officium*, amplam *a* habeat significationem, proindèq; ex Iure *b* & ex communi sententiâ, Suspendio ab officio ligamen potestatis Ordinis, & iurisdictionis, & alterius cuiuscunque administrationis Ecclesiasticæ inuoluat: declaramus tamen, quòd quando in nostris Constitutionibus, seu legibus Prælati delinquentibus infligitur pœna Suspensionis ab officio, ex vi huius censuræ sic impositæ, prohiberi tantum volumus vsum, & exercitium Pontificalium, quæ dignitatem Abbatialem ratione benedictionis, aut privilegij consequuntur, vt Ordines conferre, Ecclesiastica ornamenta benedicere, calices sacrare, Monasteriumque regere in spiritualibus, ac temporalibus. Caueant autem Abbates sic suspensi à prædicto Pontificalium vsum, nè suspensionis censuram quo ad hæc violantes Irregularitatis elatione se inuoluant.

2. Cum ergo Abbas aliquis fuerit suspensus, in aliud Monasterium (vt prædictum est *d*) quod commodius visum fuerit mittatur, in quo adus Conuentuales (Capitulo culpârû excepto) frequentabit, & infra Abbatem dicti Monasterij, omnesque alios Abbates actuales toto suspensionis tempore locum, ac sedem habebit, licet fortè antiquitate domus suæ locus sublimior debeat.

3. Quoad vestitum, & alia id generis à Monasterio suo temporibus statutis providebitur. Pro victu autem, & alimentis Præsidens domus ipsius Abbatis suspensi Monasterio in quo ille suspensus detinetur, aureos sex soluet in singulos menses.

4. Elapso suspensionis tempore, absque vlla Superioris licentia Abbas in Monasterium suum reuertetur, illudque vt antea, cum plenitudine potestatis gubernabit.

5. Quoniam verò circa temporaria suspensionis terminû, sententiârû diuersitas est, pro dubijs, quæ possunt occurrere dirimendis, in pietatem promiores, statuimus, ac volumus *Primo*, vt si suspensio ad mensem (verbi gratia) vel annum prima ipsorû die incipiat, vltima eorundem finita, finiatur. *Secundò* tamen si incepto iam mense, aut anno temporaria suspensio inchoetur simili quo inceperit die extrinsecè, & exclusiue desinat esse. Vnde si (exempli gratia) suspensio per mensem quarta die Februarij incipiat, quarta die similiter sequentis mensis Martij exclusiue

*a* Dist. 25. perleciis.

*b* Cum alter. de sèc. & re iudi. in 6. Glof. in cap. Cum dilectus

*c* C. Cum aterni, in 6. C. Cai, de sètent. excõ. in 6.

*d* Lib. 1. Cõstit. 6. c. 6.

*e* Glossa in ca. sacro, de sent. excõ.



definat; ita vt incipiente prædicta die quarta, eo ipso suspensio euanescat, suspensusque liber maneat, & expeditus ad functionem muneris sui.

¶ Quod si vnicus, vel vltimus suspensionis mensis careat die illo quo suspensio incepit, tali mense finito finiatur quoque suspensio; vt si aliquis trigesimo Ianuarij die per mensem vnum suspendatur, finito sequenti mense Februario, qui die illo caret, à suspensionis vinculo maneat solutus.

6. Indulgenter etiam concedimus, quodd omnis suspensio passim ab officio Abbatiali, vel ab alio vocem actiuam habente in Capitulo Generali, in Vigilia eiusdem Capituli finiatur. Prior autem, seu Præsident Monasterij Abbatis suspensi, Statum illius conficiat (vt infra) & ad Capitulum mittat, cum reliquis literis testimonialibus, de quibus statim.

## CAPVT QVINTVM.

### De Statu Monasterij ab Abbate in Capitulo Generale adducendo.

¶ **C**VM reddenda regiminis ratio, bene regendi occasio sit; statuimus vt diebus aliquot antequam Abbas in Capitulum Generale pergat, Consiliarios congreget, & omnes simul vocaliter eligant duos Monachos numeratores, qui ibidem iuramentum accipiant, vt totius triennij ratiotinia, Statumque Monasterij sub forma sequenti fideliter conficiant.

1. Transcribant *primò*, sic electi Statum, in quo Abbas ante acti triennij domum reliquit; *Deindè* sub hoc titulo, *Rationes Præsents triennij* in summam colligant quantum in singulis annis, totoque triennio Monasterium habuerit ex redditibus, censibus, Ecclesijs, & huiusmodi alijs.

*Secundò*, sub titulis postea separatis, ac distinctis apponant quantum ex prædictis, & ex propria Cerere, siue agricultura, decursisq; debitis singuli ad quos pertinent Officiales receperint.

*Tertio*, quantum ab illis fuerit expensum in victu, & vestitu Monachorum, alijsque rebus, necessarijs prout ministerium cuiusque postulauerit, ita vt sicut singuli receptis onerantur, ita similiter expensis exonerentur, residuumque explicetur.

Quartò



*Quartò*, referant opera fabrefacta, pensiones additas, vasa, & utensilia in singulis Officinis apposita, arbuta plantata, &c.

*Vltimò* tandem attexant statum Monasterij, minutatim recedentes quantum pecuniæ remaneat in Deposito, quantum frumenti in Horreo, quantum vini in Dolario, quantum olei, carnis suilla, leguminum, cæterarumq; penum in Cella promptuaria, quantumque ex prædictis rebus à Colonis adhuc, seu conducto-ribus soluendum supersit; quibus debitis Monasterium maneat obnoxium; quomodo Officiarum suppellex maneat instaurata, quidquid denique pecoris habeatur.

3. Status sic absolutus legatur coram Conuentu, eumque subsignent Abbas, & Prior, duo prædicti Monachi Racionatores, & quatuor antiquiores Consiliarij. Quòd si Abbas Statum sub hac forma in Capitulum Generale non attulerit, voce pas-sua in eo careat.

4. Statuimus præterea, vt præter Statum afferat etiam tan-quam appendicem illius sequentes literas testimoniales.

*Primo*, Eas in quibus Prior, Cantor, & Sacrista subsignati fi-dem faciant, Missarum, & Anniuersariorum obligationibus sin-gulis annis triennij, fuisse satisfactum.

*Secundò*, Alias in quibus Prior, & Depositarij, duoque anti-quiore Consiliarij subsignati fidem faciant Quindennium Mo-nasterij, & Ecclesiarum illius pro rata totius triennij manere solutum: operaque in Visitationibus ordinarijs præcepta tum in Monasterio, tum in Ecclesijs annexis manere confecta, seu extracta, vel haberi dispensationem illorum. Insuper etiam re-manere in Deposito summam pecuniæ enumerata, quæ sufficiat secundum solitos mensium sumptus, pro expensis quotidianis vsque ad diem Natiuitatis Sancti Ioannis Baptista.

*Tertiò*, Alias in quibus Prior, Cellerarius, & Receptor, seu rei frumentariæ custos, prædictique duo antiquiores Consiliarij fi-dem faciant salaria omnia manere soluta: cultos etiam de more solitos agros Monasterij, hortos atque vineas: Abbatemque re-linquere frumentum sufficiens vsque ad diem Assumptionis B. Mariæ, oleum etiam, & vinum subsistens, (seu vt dicitur) sanum quorum utrunque sufficiat saltem vsque ad diem Translationis Sancti Patris Benedicti.

5. Porro vt hæc suauis exequantur, si triennales redditus,



aut pecunię ad prædicta penora comparanda fortè non suppetant, mutatas pecunias poterit Abbas accipere ab Abbate vêtarij soluendas, quibus omnia prædicta suo tempore emptz facilius, atque ere pauciore comparentur.

6. Quod si Abbas prædicta omnia non adimpleuerit, prædictasque literas à prænominatis Monachis subscriptas non adduxerit, easque non præsentauerit coram Iudicibus inhabilitatum (vt prædictum est libro 1. Constitut. 2. cap. 7.) ab ipso postea Abbati nouiter electo tradendas, volumus, vt voce actiua in Capitulo Generali careat, & à prædictis Iudicibus ipso facto dicta voce priuetur. Quod si fortè ad Priorem, seu Præsidentem iuxta prædicta, Statum, & cætera facere spectauerit, & non fecerint, ipsi puniantur.

7. Omnibus autem prædictis Monachis, qui ad Statum conficiendum fuerint nominati, & ijs etiam qui prædictas literas testimoniales debent subscribere, Præcipimus *in virute sancte Obediẽtia*, & sub pœna priuationis vocis actiua, & passiuæ ad arbitrium Capituli Generalis, vt singula prædicta verè ac fideliter conficiant, & subsignent. Nec prædictas literas malitiosè renuant concedere sub eisdem præcepto, ac pœna.

## CONSTITVTIO II.

### De Officijs quæ spiritualia concernunt.

#### CAPVT PRIMVM.

#### De Munere Prioris.

**P**RIOR Monasterij iuxta sanctam Regulam ab Abbate eligatur cum Consilio seniorum, de quibus infra; Volumus autem vt ad passiuam Prioris electionem inhabiles sint. *Primò*, qui toto præterito triennio, vel saltem vltra medietatem illius in eodem Monasterio Prior extitit, *Secundò*, qui cognatione infra quartum gradum cū Abbate fuerint coniuicti

*Tertiò*,





*Tertio*, Qui duodecim saltem Religionis annos non habuerint expletos.

*Quarto*, Qui propter impedimentum aliquod habituale Chororum, actusque Conuentuales non potuerint frequētare, vel impedimento aliquo Canonico fuerint irretiti. Quæ omnia Abbas ante electionem cum Consilio perpendat.

† Ex alijs verò Abbates serio admonemus, & super hoc conscientias eorum grauitè oneramus, vt tales Priores eligant quales quoad morum grauitatem, scientiam, prudentiam, Regularisque obseruantie zelum eligere decet, vt Abbatis vicem, locumque impliant in Monasterijs præsertim Vrbicis, ac nobilioribus.

2. Statuimus vt Prior electus eo ipso sit de numero Consiliariorum, & Confessariorum Conuentus, immunisque officijs Tabulæ communis, exceptis solitis Missarum hebdomadis. Primus à Choro sinistro infra Capitulares sedeat. Absente verò Abbate à Cænobio ita vt illud Prior immediatè gubernet, locū Abbatis vbique habeat, quòd si Abbas ita non absit, licet actibus Conuentualibus non intersit, in Capitulo tantum culparum, Pretiosa, atque Refectorio Abbatis loco sedebit.

3. Ad manus Prioris spectat omnes actus Conuentuales die noctuque frequentare, in illis Abbate deficiente præsidere, curareque, vt omnia perfectè adimpleantur, & Regularis disciplina in ipsis obseruetur, silentium locis, ac horis debitis Monachorum in Cellulas inclusionem, cæteraque ad Monasticam disciplinam spectantia diligenter obseruare facere: Monasteriū nocturno præsertim tempore lustrare, tentareque an fores clausuræ sint obseratæ, & an Monachi intra Cellulas sint recepti (quòd Abbas personaliter aliquoties etiam excoquat.) Ad manus denique Prioris spectat honestas aliquas recreationes in gratiam Conuentus ab Abbate aliquando petere, & obtinere, eoque absente Monasterium regere, cum limitationibus quas prudenter Abbas expedire iudicauerit.

† Quòd si longa sorte fuerit Abbatis absentia, Reuerendissimus Abbate consulto Præsidentem poterit constituere cum limitationibus quæ Abbati placuerint.

4. Quoad potestatem verò illius sequentes sanctiones statuimus *primò*, nihil Prior (iuxta a. sanctam Regulam) contra <sup>a</sup> Cap. 65. Abbatis



Abbatis voluntatem aut ordinationem faciat.

† Deinde quod attinet ad forum internum animæ, licet Prior Abbate domi existente Monachos non possit absoluerè a censuris, & casibus reseruatiss, si tamen Abbas à Monasterio exeat eadem die non reuersurus, à prædictis poterit absoluerè, Confessarijsque absoluerendi licentiam concedere, qua potestate gaudebit vsque ad Abbatis regressum.

† Quantumuis autem Abbas absens sit, non poterit audiendi Confessiones facultatem facere ijs, qui ab Abbate Confessarij non sunt creati.

5. Ex priuilegio item Apostolico, poterit Prior, vel quilibet alius Præsides electus principale habens Monasterij regimen in absentia Abbatis Corporalia benedicere, & alia ornamenta Ecclesiastica ad cultum Diuinum pertinentia, tam propriij Monasterij quàm vndecunque sint.

6. Quod verò ad alia externumque regimen spectat, statuimus vt Prior, Abbate Domi existente vel ita prope, vt quasi præsens censeatur licentias Monachis concedere nequeat; Abbate verò absente eadem die non reuersuro poterit concedere solitas, vt ad loquendum, scribendum, expèdendum, & alias huiusmodi: quæ si ante Abbatis regressum, non ex instituto, & industria, sed fortuito effectum non fuerint sortitæ, non ideo nullæ, & irritæ sint. Si autem Abbas eadem die sit reuersurus, ad ea quæ casu superuenerint, Prior licentiam poterit concedere, ea verò in quibus tunc non fuerit necessitas, aut periculum in mora, Abbatis aduentum expectent, ad eaque Prior licentiam præstare, non poterit.

7. Poterit insuper præsentè etiam Abbate, Monachos ab vno Choro in alterum mutare, vt in vtroque debita proportio numeri, aut vocum seruetur, absentesque per Iuiores accersere.

8. Præterea si in Capitulo culparum, aut Pretiosa Præsides, poterit Monachos admonere, arguere, reprehendere, pœnisque Regularibus punire; excepto quòd neque ibi, neque alibi poterit Monachum aliquem nudo tergore flagellare, aut carceri mæcipare, absque expressa Abbatis domi præsentis licentia. Quòd si Abbas absit, ipseque Prior vt Prior, Monasterium immediate gubernet non poterit in neruum, aut in carcerem mittere absque prædicta licentia, vel absque assensu maioris partis Consilij.



9. Si verò in cæteris actibus Conuentualibus præsideat, & aliquis ibi defectus committatur, poterit solummodò delinquentibus præcipere, vt sese prosternant, vel vt in medio Conuentus genuflectant, vel (vt inquit) venias faciant, vteriori, si opus sit, pœna, in Capitulum referuata.

10. Extra Capitulum tandem, actusque Conuentuales si aliquos silentium violantes horis aut locis prohibitis, vel extra Cellas vagantes, tempore, aut loco vetito inuenerit, vel aliquis coram eo defectum aliquem commiserit, poterit eos prosternere, vel præcipere vt in Cellas sese recipiant, quantumuis Abbas domi præsens sit. Cætera tamen pœnitentiæ si fuerint merita in Capitulum referentur.

11. Porro si Prior in aliquo actu Conuentuali pœnitentiam aliquam alicui Monacho ibidem implendam imposuerit, aut (iuxta prædicta) violatores silentij seu vagantes punierit, ipsi verò obedire renuentes ad Abbatem conuolauerint, præcipimus sub pœna suspensionis menstruæ vt Abbas ipse duplicata pœna eos punire iubeat.

† De pœnitentijs autem quæ extra Capitulum in Refectorio, vel alibi sunt implendæ, & à Priore aut Supriore fuerint impositæ, ab ipsis, antequàm exequantur, de culpisque commissis certior fiat Abbas.

† Pœnitentias quas Prior imposuerit, ipse poterit remittere, ab Abbate tamen impositas, vel à Magistro Nouitiorum, neque Prior, neque Subprior poterunt relaxare.

12. Statuimus vt Abbatiali Sede vacante, ita vt facienda sit electio intermedia (iuxta prædicta libro 1. Constit. 4. Cap. 2.) vel etiàm tempore Capituli Generalis, Prior Monasterio præsideat Abbatis vicem, & potestatem gerens (nisi Reuerendissimus Monachus alterum tunc temporis Præsidem constituat) toto tamen illius temporis interstitio, regimè, statumque ipsius domus, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus neuter alterare aut immutare poterit; Licet enim finito triennio, temporeque prædictæ vacaturæ Abbas esse desinat, volumus vt præcepta, casus referuati, & cætera ab eo disposita in suo robore, ac vigore perseverent, temporaliaque in suo esse, & statu permancant ad æternalem vsque ingressum, & possessionem Abbatis nouiter eligendi.



† Non poterit in super Prior, vel Præfidentis ille tempore prædictæ vacaturæ, vel Capituli, bona Monasterij alienare, agrorum titulos facere, literis emptionum, & venditionum consensum præbere, aut in Ecclesijs Patronatus præsentare (nisi præsentandi tempus, ante electionem, & possessionem Abbatis fortè finiat.)

¶ L. 1. C. 6. ff.  
2. C. 2. n. 10.

† Hæc eadem facere non poterit tempore Capituli (vel Abbas, si sub Præfidentis titulo Monasteriū a iuxta supra dicta gubernet) vel quilibet alius Præfidentis Monasterij, a quocunque sit constitutus.

† Quod si singuli prænominati in singulis prædictis secus facere præsumperint, voce actiua, & passiuam per triennium careant, eademque pœna consentientes puniantur.

¶ Cap. 65.

13. Statuimus denique, vt licet ex prudenti electione, & voluntate Abbatis Prioris creatio pendeat, illum tamen semel electum Abbas priuare nequeat, nisi prius præcedant iterate admonitiones sanctæ Regulæ, nisi que dentur causæ legitime quas cum Consiliarijs Abbas communicare tenebitur.

¶ n. 5.

14. Nouo autem adueniente Abbate, cum omnia quæ ab illius electione pendet officia vacent, Priorem etiam poterit remouere, alterumque (vt supra) eligere.

## CAPVT SEXTVM.

### De munere Subprioris.

1. Statuimus vt in Monasterijs in quibus duodecim saltem Monachi existunt, Subpriorem eligat Abbas eodem modo quo Prior electus est: in habilis tamen erit ad passiuam Subprioratus electionem qui decem saltem Religionis annos non habuerit expletos, vel habituales aliquam ægritudinem, aut Canonicum habuerit impedimentum. Eo ipso quod fuerit electus, volumus quod de numero sit Consiliariorum.

¶ Cap. Præcedente

2. Munus Subprioris est absente a Monasterio Abbate, ac Priore illud gubernare (nisi Præfidentis vt supra a constituitur) in actibusque Conuentualibus quibus illi non intersunt præsidere, Monasticam disciplinam ex parte sua tueri, facereque obseruari.



obseruari. A Choro dextro loum habebit, seruato ordine antiquitatis suæ. Si in Refectorio tamen, Capitulo, aut Pretiosa præsideat, in loco Abbatis sedebit cum eadem superioritate, & iurisdictione qua præsidet Prior.

3. Extra actus Conuentuales, quos inuenerit silentium violantes, aut quomodolibet aliter delinquentes, poterit prosterne- re, aut præcipere, vt in cellulas se se recipiant, alijs pœnitentijs in Capitulum referuatis.

4. Non poterit relaxare pœnitentias, quæ ab Abbate, Priore, aut Magistro Nouitiourû fuerint impositæ, nec immunis erit officijs Conuentualibus Tabulæ; Si tamen præsideat, officium quæ habuerit Archichori, Lectoris, Seruitoris, aut aliud huiusmodi cum Præsidentia incompatible cura Cantoris erit illud commendare, aut supplere.

5. In absentia Prioris à Monasterio, vel ab actibus Conuentualibus, eadem quæ à Priore poterant fieri, faciet Subprior; similiter etiâ Priore agrotante, vicem illius in omnibus subibit.

### CAPVT III.

#### *De Magistro Nouitiourum.*

1. **C**VM recta Nouitiourum educatio, & primordialis illorû institutio plurimum sanè ad Religionis consistentiam, & augmentum referat, ea quæ ex Magistro potissimum pendeat, cupientes maximè vt quales decet esse, re ac nomine Magistri eligantur, statuimus, vt finitis in Capitulo Generali supra memoratis electionibus Abbatum, Diffinitorum, &c. sequenti ordine, ac modo Magistrorum fiat electio.

2. Singuli Vocales duas, vel tres schedulas Monachorum duorum, vel trium nomina continentes, quos Magisterij munere dignos esse iudicauerint, in vas quoddam in mensa Diffinitorij existēs simul iniiciant: deinde huiusmodi schedulis scrutatis, omnes in eis nominati in catalago à Relatore reponantur; atq; ex illis postea Reuerendissimus, ac Diffinitores matura prius habita collatione circa dignitatem, & sufficientiam cuiusque, digniores tandem, iuxta qualitates statim assignandas, eligant, qui Nouitios magistrarent.



a Cap. 13.

3. Volumus autem ut duo illi, vel tres à Vocalibus nominandi, singulique postmodum eligendi sufficientis iam sint, ac maturæ ætatis: secundò, ut in Regulari disciplina rectè sint instructi, spirituali vitæ dediti, apti (secundùm sanctam & Regulam) ad lucrandas animas, morum grauitate, prudentia, zelo, cæterarumque virtutum ornamentis commendabiles, & quoad fieri possit, literis etiam sint præditi, vita tamen benè instituta præcipuè consideretur; Magnū quippè pondus doctrine vitæ docētis.

b August.

4. Cùm verò huiusmodi Magistri munus inter grauiora iurè sit recensendum, magneque sit auctoritatis, nec non leuis laboris, ac proindè multo honore dignum, decernimus ut Magister Nouitiorum Paternitatis titulo decoretur, & à Choro sinistro immediatè post Priorem locum habeat, nisi fortè aliudè altior ei debeat gradus. In Refectorio tamen in eadem mensa sedeat, & comedat cum Nouitijs. Postquam autem Prælo ceterisque in mensa maiori confedentibus fercula fuerint allata, primò statim Magistro deferantur. Officiorum etiam Tabulæ communis modo quo Prior immunis erit. Peractis denique duodecim annis magisterij Nouitiorum, vocem actiuam habebit in Capitulo Generali.

5. Ad munus Magistri (quod paulatim explicabitur) ac potestatem illius pertinet ordinaria iurisdictione Nouitios confiteri, & absoluerè, aliquandoque facultatem eis concedere, vt cum alijs Confessarijs Conuentus possint confiteri.

6. Præter hanc spiritualem potestatem potest etiam Magister eos vbicunque & quouis tempore admonere, arguere, coercere, punire, pœnitentiasque Regulares imponere; carceri tamen seu ergastulo tradere absque Abbatis licentia nequit. In actibus Conuentualibus potest eos prosternere, præcipereq; vt venias faciant, aut genuflectant: non illius tamen, sed Præsidentis erit signum facere, vt surgant.

In Regularibus obseruantijs, vt in absentia, & frequentatione Chori, & huiusmodi alijs, poterit secundùm indigentiam, vires, & ætatem cuiusque, aut prout virtutum auriga prudentia distauerit, cum aliquibus aliquando dispensare. Prior autem & Subprior non poterit Nouitios accerere ad actus Conuentuales, nec etiam Abbas inconsulto Magistro.

Præterea cum pro refocilandis Nouitijs prandiolum, seu aliquid



aliquid aliud Magister à Cellenario, Dispensatore, vel quouis alio Officiali petierit, libenter, & cum charitate ei tribuatur, minimèque denegetur, alioquin qui negauerit grauer in Visitationibus puniatur.

Poterit etiam eos aliquoties ad hortum mittere animi recreandi gratia, euntes tamen, ac redeuntes sociabit.

7. Statuimus, vt Magister alijs officijs non occupetur, quæ assistentiam illius in Nouitiatu, & præsentiam cum Nouitijs possint impedire, ipsumque Magistrum admonemus, vt quoad fieri possit, præsens in Nouitiatu consistat. Porro cum sæpè Coadiutore indigeat, Abbas de consilio ipsius Magistri, Monachum idoneum designabit, qui eo absente, aut legitime impedito, vicem illius suppleat.

8. Si autem Magister electus decedat, aut alia quavis ratione Magister esse desinat, aut legitima interueniente causa, esse non possit, ex nominatis in Capitulo Generali, aut prædictas qualitates habentibus alter, vt supra, eligatur.

Non poterit tamen à magisterio priuari, aut suspendi, nisi per sententiam propter culpas iuridicè probatas, à qua si grauari se senserit poterit implorare Diffinitorij tribunal.

## §.

*De Receptione Nouitiorum.*

Qvod verò attinet ad Nouitiorum receptionem, atque delectum, cum ipsi quoque vitifatores generosos palmites querant, nobiliores surculos viridarij, Reuerendissimum ad quem præcipuè spectat Religionis paradyso nouas plantulas inferere, iterum, atque iterum admonemus, & quatum possumus in Domino obsecramus, vt super omnia curet, ne sterili, inutilique Nouitiorum congerie Religio grauescat, ac tota in frondem abeat, sed vt potius tanquam vinea quam plantauit dextera Domini egregijs palmitibus, atque selectis, qui floridas gemulas emittant, fructumque ferant tempore suo, indies feliciter propagetur.

10. Qualitates ergò, quas recipiendos habere volumus, & ante quamcunq̃ inquisitionem expendi, sunt huiusmodi.

Primò, Quòd verè, & ex corde, animoque obfirmato Deum querant; vnde recipiendi affectus, specimenque spiritus, iuxta



sanctam Regulam probentur, an ex Deo sint?

*Secundò*, Quod habeant sanctam mentis, & corporis, bonitatem ingenij, integritatem sensuum, aptamq; compositionem, absque vlla turpis foeditatis, aut deformitatis nota.

*Tertiò*, Quod saltè linguā Latinā calearit, aut tot alias habeat dotes, quæ latinitatis defectum suppleant; vt illustria Natalitia, vox eximia, insignis musicæ, aut artis citharedicæ, magistralis vè pulsationis Organorum peritia. Communiter etiam Sacerdotes sæculares non recipiantur, nec etiam pueri minores annis quindecim; aut viri maiores quinquaginta, nec denique coniugati. Quod si aliquem huiusmodi recipi contingat, seruetur prius dispositio Iuris, vt vxor, scilicet, Religionem etiam ingrediatur, aut illius saltem sit ætatis, vt voto castitatis emisso, sine suspitione in sæculo remanere valeat.

11. Cùm ergo prædictis conditionibus suppositis, Reuerendissimus aliquem Religioni fore vtilem, & idoneū iudicauerit, eum examinare primò præcipiat duobus Monachis eruditis de sufficientia Latinitatis, vel alterius artis, seu scientiæ; cui examini quoad fieri possit, ipse Reuerendissimus, vel saltem alius ex cõmissione ipsius præsens sit.

12. Si autem Recipiendus de sufficientiã scientiæ fuerit approbatus, ceteraq; prædictæ qualitates in eo reperiantur, tunc Reuerendissimus plenariam, & exactam facere præcipiat inquisitionem, de genere, de moribus, & vita illius, vt Constitutiones Apostolicæ super hoc editæ, & cetera à nobis addita integrè obseruentur.

13. Fiat autem prædicta inquisitio secretò absque strepitu iudiciario à duobus Monachis per Reuerendissimū designatis, vel si id cõmodè fieri nequeat, ab vno saltè, quibus tū ex a Iure cõmuni (cum hoc ministeriū subdelegabile sit) tū ex speciali concessione b Põtificia potestati facinus ad prædictā inquisitionē faciendā, præcipimusq; in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna Excommunicatiõis ipsi facto incurrende, vt sincerè, ac fidelitèr de Recipiendo inquirent, iuxta articulos infra subscriptos, testibusque vocatis iuramentum ad veritatem propalandam præstent, atque illorum testimonia fidelitèr quoq; tradant scriptis.

† Præcipimus etiam vt Monachi illi ad inquisitionē faciendam designati eam non conficiant in domibus parentum, aut cognata

a C. Indices.  
de Officio  
de Leg.  
b Clemens  
VIII.  
in his qua & c.



cognatorum Nouitij recipiendi, neque accipiant testes ab illis oblatos, nec xenia, aut munuscula, nihilque omnino, nec denique testimonia testium reuelent, alioquin per triennium voce actiua, & passiua ipso facto priuentur, si in aliquo ex prædictis deliquerint.

14. Porro interrogationes faciendæ præcipimus vt in ipso inquisitionis capite singulæ sigillatim sub hac forma conscribantur, vt ad singularum tenorem testes examinentur, atque deponant.

*Tali die, talis mensis, & anni Ego Frater N. & Frater N. tali loco existentes, & iuxta commissionem nobis factam à nostro Reuerendissimo P. Generali Fratre N. & ab alijs ad quos pertinet, procedentes ad faciendam inquisitionem de vita, & moribus, alijsque qualitatibus requisitis in N. qui Habitum nostre sacre Religionis exposcit, sequentes articulos conscripsimus, vt iuxta illos testium depositiones recipereamus.*

\* I. An cognoscat N. qui habitum vult recipere, sciatque ex qua nã patria sit, & a an parentes illius agnoscat, seu agnouerit, & auos insuper ipsius saltem per famam?

*a Sixtus.V.  
Cum de omnibus, &c.*

II. An sciat omnes illos orthodoxos esse, ac de puro genere natos absque vlla macula, seu labe sanguinis Iudaici, Mahometani, Heretici, aut mixti, vel aliquem illorum pœnitentia publica à sanctæ Inquisitionis officio fuisse punitum.

III. An sciat illum qui habitum vult recipere filium esse legitimum, atque vt talem communiter reputatum, Personamque sui iuris, ita vt libere sese possit disponere, aut in alia Religione professum, aut Nouitium propter culpas eiec tum.

† Quòd si fuerit illegitimus, hæc addenda erit ex Gregoriana Constitutione interrogatio. *b*

*b Gr. XIII.  
Circumspecta.  
&c.*

† An sciat eum talem habere indolem, taleque virtutis specimen præ se ferre, ac tot alias qualitates, seu merita personalia, atque mores, vt hæc omnia naturalium suppleant defectum?

IIII. An sciat illum cū femina aliqua sponsalia contraxisse, eique debitorem existere ob lesionem honoris, aut notabilem eiusdem femine infamiam sequendam esse, si post sponsalia contracta eam ille relinquat?

V. An sciat eum morbidum esse habituali aliqua aegritudine, aut morbo aliquo contagioso vitiatum.



VI. An sciat illum graui aliqua infamia laborare, aut criminofum esse, cōmiffisse, fcilicet, aliquod homicidium, furum, vel latrocinium, aut aliud fimile, seu grauius delictum in iudicium via accusationis actis publicis contestata?

VII. An sciat illum debitis esse onustum vltra facultates fuas, quæ fcilicet non poffit perfoluere, & ab ipsis facilliter fe expedire?

VIII. An sciat illum reddendis ratiotinijs ita effe obligatum, & obnoxium, vt ex huiusmodi caufa lis aliqua, vel moleftia ei iam fit illata, vel timendum fit quòd inferatur.

IX. An sciat, & iudicet ipfum non humana aliqua ratione, fed tantum deuotionis, & pietatis feruore vitam Religiofam fponte, & ex animo eligiffe?

¶ 15. His articulis conſcriptis, vocatis teftibus in hunc modum procedatur.

*Eodem die, & loco quibus ſuprà comparuit N. incola talis loci, talis vel talis qualitatis vir in teſtem vocatus qui iureiurando accepto, promiſit ſe veritatem ſinceriter, ac fideliter dicturum ſuper his, quæ erga interroganda nouiſſet: & imprimis interrogatus de Generalibus, ac ſolitis reſpondit, ſe eſſe tantæ, vel tantæ ætatis, ſe partis non eſſe inimicum, conſanguineum, vel affinem.*

*Ad primum articulum qui ei de verbo ad verbum fuit perlectus reſpondit, &c. & ſic in alijs. Quibus finitis, tota teſtis de poſitio perlegatur, eaque ratificata, omnes ſubſcribant.*

16. Aduertant autem Monachi inquirentes, vt in fine cuiusque articuli teſtes interrogent vnde nam nouerint id quòd teſtantur, & vnusquifque ſui teſtimonij reddat rationem, vt illud ex ea animam veluti atque robur accipiat.

17. Præcipimus tandè vt in quæſtionè ſemel factâ prædicti Monachi inquirentes in hunc modum finiant, & concludant.

*Quam Inquæſtionem nos prædicti Fratres N. & N. verè ac fideliter fecimus, ſuper quo fidem noſtrâ damus, & ſubſcribimus hodierna die talis menſis, & anni.*

† Subſignata ergo in quæſtione, atque Sigillo munita, vel ad Reuerendiſſimum, vel ad alios alibi deputatos ( prout ipſemet Reuerendiſſimus diſpoſuerit ) tranſmittatur. Deputati verò eam examinent, & approbent, vel reprobent ſecundum ſtatim dicenda.

*a Cum cauſa  
de teſtibus.*



18. Statuimus vt prædicta plena, & exacta inquisitio fiat antequam Nouitius habitum suscipiat; quòd si fortè fieri nequeat, summaria saltem vnus, aut duorum testium præmittatur, iuxta concessionem <sup>a</sup> Gregorij XIII.

<sup>a</sup> *Circūspec-  
ta.*

† Quoniam verò dubium est an Concessione illa gaudere possimus, cùm pro Monasterijs in quibus perpetuæ filiationes vigent data sit, vt in re tanti ponderis, ac momenti tutius eligatur, præcipimus quòd in prædicto euentu præter summariam illam inquisitionem nullus omnino Nouitius habitu induatur, quin prius secundùm Clementinā <sup>b</sup> concessionem iureiurando iuret se præfatis impedimentis non detineri, seu obnoxium esse.

<sup>b</sup> *In his qua*

† Quod iuramentum non nisi coram Abbate, & Priore, & duobus, vel tribus Monachis ex antiquioribus illius domus in qua recipiendus est, emittet ad tenorem prædictarum interrogationum, quæ de verbo ad verbum coram eo perlegantur, & explicentur; Atque ita obseruari præcipimus, tum à Reuerendissimo, tum à prædicto Abbate *In virtute sanctæ Obedientia, & sub pena Excommunicationis ipso facto incurrenda.* Postea verò cùm primùm commodè fieri potuerit, ante Professionem, prædicta ex acta inquisitio fiat.

§.

*De Approbatione inquisitionis Nouitiorum.*

19. **Q**uanis diuersimodè secundùm varia Summorum Pontificum diplomata Nouitij possint recipi, informationesque illorum examinari, & approbari, volumus tamen vt circa personas approbantes, iuxta Constitutionē <sup>c</sup> Sixti V. deputati sint ad prædicta exequenda tres Superiores, Abbas scilicet Monasterij S. Thirsi, Abbas S. Mariæ Columbensis, & Abbas S. Andreae de Rendufe, qui cùm Reuerendissimo insimul congregati præfatas inquisitiones examinent, & approbent, Nouitiosque recipiant secundùm quòd maior suffragantium pars decreuerit, dataque forsitan suffragiorum æquali-

<sup>c</sup> *Ad Roma-  
num.*



æqualitate, Reuerendissimi qualitas præualeat.

20. Porro si aliquis ex prædictis Abbatibus legitimè fuerit impeditus, Abbatem Monasterij Bastësis, & alios (si opus fuerit) ordine suo subsequentes, ad prædicta peragenda deputamus.

a Clemens.  
VIII.  
Monastica.  
&c.  
Altissima.  
&c.  
Minoribus.

21. Quoniam verò aliquando extra Prouinciam Interam-nensem opus esse potest Nouitios recipere, & prædicti Abbates congregari nequeunt, statuimus iuxta priuilegiū a nobis concessum a Clemēte VIII. Pontifice Maximo, vt Reuerendissimus Conimbricæ, aut Olyssipponē alijs vè locis à prædicta Prouincia remotis, possit de consensu quatuor Monachorum ex antiquioribus illius Domus in quam iuuenes sunt recipiēdi ipsos ad Habitum recipere, ipsorumque inquisitiones examinare, & approbare.

22. Cùm autem antiquitas non ex ætate tantùm, sed ex alijs etiam qualitatibus pensanda sit, decernimus vt in Collegio Conimbricensi quatuor illi deputati sint Abbas, & Regens ipsius Collegij, duoque Doctores secundum Habitum seniores. Quòd si isti defecerint, locum illorum suppleant qui inter literis eruditos ibidem existētes fuerint similiter Habitu antiquiores. In Monasterio verò Olyssipponēsi prædicti quatuor Deputati sint Abbas, & Prior, & Theologi duo antiquiores vt supra. In alijs locis similiter remotis Capitalum Generale deputatos nominabit prout opportunum iudicauerit.

† Cunctis ergo prædictis Deputatis, & Reuerendissimo, tum ad receptionem Nouitij, tum ad approbationem Inquisitionis suffragantibus, maior suffragiorum pars necessariò sequenda est.

23. Circa approbationem verò, modumque approbandi prædictas inquisitiones statuimus, *primò* quòd nulla inquisitio approbetur, quin prius Reuerendissimo ac Deputatis etiam certò constet, vel per euentiam examinis, vel per authenticū Examinatorum testimonium de sufficientia Latinitatis Nouitij recipiendi, vel aliarum qualitarum, quæ iuxta supra dicta vicem illius suppleant.

*Secundò*, Nulla inquisitio approbetur, in qua aliqua ex prædictis interrogationibus, aut pars alicuius defecerit: alioquin talis approbatio nulla sit, & irrita; excepto si recipiendus fortè fuerit expositus, & parentes eius ignorentur.

*Tertio*



*Tertio*, Nulla inquisitio vt exacta approbetur, nisi tres saltem testes omni exceptione carentes pro qualificandis genere, vita, moribus, cæterisque in Nouitio requisitis concordēs in secundo Articulo, & in alijs subsequētib; existant.

24. Nullius etiam approbetur Inquisitio, in qua macula aliqua fuerit inuenta circa qualitatem generis, & profapia recipiendi, prout in secundo Articulo præscribitur, alioquin ipsa inquisitionis approbatio, nulla, & irrita sit, eamque temerè approbantes in sententiam *Excommunicationis ipso facto* incurrant.

† Non approbetur etiam Inquisitio in qua defectus aliquis fuerit repertus circa conditionem, & libertatem personæ in 3. Articulo annotatam, vt defectus seruitutis, vel alter similis.

De eiectionis ab alio Ordine prudentè iudicetur, secundum quod fuerit vtilius Religioni, & authoritati illius, considerata causa eiectionis, qualitate personæ, expensisque cæteris circumstantijs.

† Circa illegitimos autem aduertant Deputati ipsos in conscientia teneri ex Cõstitutione Gregoriana ad maturè deliberandum, & iudicandum, an prædicti illegitimi cum recipiuntur bonam indolem, & virtutis specimē præferant, aut tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur.

† Aduertant etiam filium illegitimum ex vi, & expressa prohibitionē eiusdem Constitutionis Pontificiæ: non posse recipi in Religione quandiu Pater eius vixerit, si in ea forsitan ille, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit.

Non approbetur etiam Inquisitio illius, qui impedimentum habuerit in quarto, aut quinto Articulo annotatum.

Nec etiam Inquisitio illorum, qui sunt criminosi, de quibus Articulo 6. fit mentio, quorum nempe crimina in foro contentioso delata iniudicata perseuerant, vel alia graui aliqua infamia fuerint notati.

Non approbetur etiam Inquisitio illius, qui (prout habetur in Articulo 7.) obnoxius est debitis certis, præsertim magnis, & ingentibus, siue illa sint debita realia, vt pecuniæ, frumenti, & cæter. siue sint personalia, vt pœna ad quam damnatus est, vel huiusmodi alia, nisi ea prius soluat, aut aliqua alia ratione,



non maneat impeditus ad ingressum Religionis cum iniuria tertij.

† Non approbetur denique Inquisitio illius, qui (proùt articulo 8. assignatur) habet ratiocinia reddenda ratione alicuius publicæ, vel priuatæ administrationis, quia scilicet est depositarius Reipublicæ, tutor pupilli, exequutor Testamenti, vel aliquid simile, ex quo lis aliqua, vel molestia timeri possit, nisi prius ab huiusmodi obligatione se se expediat.

† Circa vltimum tandem Articulum, & interrogationem illius sufficit quòd per coniecturas, prudentemque examinationem iudicetur nullam esse probabilem rationem suspicandi vocationem illam Nouitij esse ab humano aliquo spiritu absque impulsu motionis Diuinæ, absque pia intentione, liberaque voluntate.

\* Circa cognatos tamen Monachorum, & eos qui intercessionibus ad examen admittuntur, cum isti plerunque de humano aliquo respectu, aut de sola commoditate vitæ sint suspecti, præcipimus, vt nullatenus ratione cognationis, aut intercessionis tantum recipiantur, vel approbentur, nisi supradictæ qualitates in eis elucescant.

† Porrò si Reuerendissimus, cæterique Deputati aliquos maiores sexdecim annis, criminosos, vt supra: debitis, aut ratiotinijs obnoxios temerè receperint, aut alios quoscunque qui prædictam ætatem superent, sine inquisitione, de moribus, & vita, vel sine approbatione illius, aut saltem sine prædicto iuramento ad Habitum Regularem admiserint, licet eorum Professio rata sit, & valida, sciant tamen singulos se ex Pontificijs <sup>b</sup> decretis voce actiua, & passiva, necnon officijs, gradibus, & honoribus, & dignitatibus quibuscunque per eos obtentis eo ipso in perpetuum priuatos, & tam ad illa, quam ad alia quæcunque in posterum obtinenda perpetuò inhabiles, & incapaces existere.

24. Examinata igitur, secundum prædicta, Nouitij recipiendi inquisitione, si eum Deputati receptione dignum, inquisitionemque approbandam esse iudicauerint, ad calcem illius approbationem sub hac forma apponant.

¶ *Examinauimus Inquisitionem hanc N. quem ad receptionem Habitibus admittimus, eamque vt exactam iudicamus, & approbamus. Datis tali loco, &c.* Et omnes subscribant. Si autem Inqui-

fitio

¶ num. 17.

¶ Sixtus V.  
cum omnibus  
Clem. VIII.  
Altissimæ,  
&c.



fitio non fuerit exacta, dicant. *Eamque vt summariam iudicamus, & approbamus, &c.* Huiusmodi Inquisitiones qualitercunque approbatae in Archiuo Congregationis à Reuerendissimo diligenter seruentur.

25. His ita peractis, vt Nouitius Habitu induatur, literas ei tradet Reuerendissimus ad Abbatem alicuius domus Nouitiatus, qui Nouitij tamen cognatus non sit, sub hac forma.

¶ *Frater N. Generalis Benedictinus in Regno Portugalliae, & in Prouincia Brasiliensi Reuerendo admodum Patri Abbati, & Religioso ad modum Conuentui, talis Monasterij, salutem, & benedictionem a Domino, &c. Notum vobis facimus N. tali loco natum secundum statuta Apostolica, nostrasque Constitutiones ad Habitum nostrae sacrae Religionis fuisse admissum, Inquisitionemque de illius moribus, & vita approbatam: vnde precipimus vobis sub praecepto Obedientiae, vt eum more solito Habitu Nouitij induatis (si autem Inquisitio Nouitij fuerit tantum summaria, addet) Quoniam verò Inquisitio illius, vt summaria fuit tantum approbata, Iuramentum ei prius secundum Pontificias nostrasque Constitutiones praestetur. Datis tali loco, &c.*

26. Postquam Abbas has literas acceperit, conuocabit Priorē, Magistrum, duosque, vel tres Monachos ex antiquioribus, Nouitiumque recipiendum coram eis accersat, & si opus fuerit, Iuramentum ab eo exigat, prout supra num. 17.

† Deindē siue inquisitio Nouitij exacta sit, siue summaria, ei expressē Abbas dicat, & exponat, neque se, neque Conuentum, aut Religionem intentionem habere consentiendi in Receptione, & Professione sua, si à parte rei originem ducat ab Hebraeis, Haereticis, aut Mahometanis, esseque ab Ordine eijciendum etiam post Professionem emissam, si illud postea constiterit.

† Quòd si sub hac conditione Religionem voluerit ingredi precipiet Abbas Monacho Notario Conuentus, vt in libro Nouitiatus huiusmodi conditionalem contractum in actis redigat, quem Nouitius ipse nomine suo subsignet, subscribantque etiā Abbas, & Notarius, Monachique praedicti, vt testes.

Hac autem obseruare tenebitur Abbas sub praecepto *virtutis sanctae Obedientiae*, & sub poena priuationis vocis actiuae, ac passivae in Capitulo Generali. Atque sub eodem praecepto, eademque poena praecipuus Reuerendissimo Generali, vt illum



taliter receptum sententia prolata, ab Ordine eijciat, si prædicta macula postea infra decennium diuulgetur, atque de illa iuridicè constet.

27. His præmissis, conuocet Abbas Conuentum, eoque in Capitulo congregato, literas primùm Reuerendissimi à Cantore præcipiat legi; deindè prædictum contractum à Nouitio subscriptum, vt de omnibus Conuentui constet, atque tandem Habitu Nouitiali, secundùm Ritus nostros eum induat.

28. Porrò Nouitiorum habitus sit idemmet quo vtuntur Monachi; vt autem aliqua inter eos detur distinctio, sine Monachali corona Nouitij tondeantur, Caputiumque illorum ab anteriori parte sit clausum, & orbiculatim efformatum.

## §.

## De Educatione Nouitiorum.

29. **C**VM ad Educationem Nouitiorum, nec omnia Monasteria apta sint, nec plura esse deceat, tria tantùm huiusmodi educationi destinamus; Monasterium scilicet Olyssiponense, Tibanense, & Portucalense, seu quæ progressu temporis Capitulum Generale commodiora iudicauerit.

In his Nouitiatus erit ostio clausus cum tintinabulo, ac fenestella, in loco apto, à secularibus remoto, & à consortio aliorum Monachorum, quoad fieri possit, segregato.

30. Postquàm ergo Nouitius habitu fuerit indutus ad Nouitiatum ducatur, & Nouitiorum albo ascribatur. Vndè præcipimus, quòd in quolibet Nouitiatu liber sit apud Magistrum, in quo ille diligentèr literis mandet annum, mensem, diem, & horam in qua vnusquisque Habitum receperit, ætatemque naturalem illius.

31. Quocircà statuimus, vt nullus Habitu induatur, vel saltem nullus ad Professionem admittatur, quin prius authentico testimonio ex libro Baptifinorum, vel per idoneos testes constet de die, in qua natus, seu baptizatus est, vel quotennis sit. Quod testimonium in prædicto libro Magister pariter exarabit, subscribetque cum Abbate, ac Priore.



32. Si autem Nouitius Religionem sponte deferens ad saculum remeauerit, hanc notatiunculam in margine libri Magister appingat, *Non perseuerauit*. Si verò electus fuerit, apponat, *Non placuit*. Liber denique cum plenè fuerit exaratus in Archiuo Monasterij reponatur.

33. Præcipimus autem, vt ætas regularis cuiusque ab hora receptionis Habitus incipiat numerari, atque secundum illam, gradum, & locum vnusquisque obtineat. Si tamen aliquis Sacerdos accipiat Nouitius, cæteros præcedat, quandiu Professionem non emiserint.

34. Vestes sæculares, quas Nouitij in Habitus susceptione deposuerint, vsque ad Professionem illorum diligenter, & integre in Vestiario, seu Nouitiatu seruentur. Præcipimusq; Abbati sub pœna suspensionis menstruæ, vt nullatenus permittat Nouitios illis vt, sed omnia ipsorum indumenta, tum interiora, tum exteriora, tum etiam que ad lectum pertinent, sint Monachalia, atque secundum Religionis vsum. Tunicæ prolixæ cum Scapulari breui ad cubatum eis dentur, atque illis vestiti dormiant. Subuculæ verò non sint a lineæ, sed ex itamenia, vel stupa. Quòd si Abbas, aut Magister aliter fieri permittant, acriter in visitationibus puniantur.

*a C. cum ad Monasteriũ.*

35. Statuimus, vt in ipso statim Nouitiatus initio Magister Nouitijs præcipiat, vt se ad Confessionem Generalem faciendam præparent cum quo maluerint Confessario, atque etiam vt prima doctrinæ Christianæ elementa recolant, quæ præcipimus, vt coram Magistro memoriter repetant, priusquam ad prædictam Confessionem accedant.

† Deinceps verò singulis Dominicis, ac festis, quibus iuniores professi (vt infra) confiteri, & Communicare tenentur, Nouitij simul confessionem, sacramque Communionem frequentent.

36. Post prædictam Confessionem Magister doceat eos omnia, quæ in actibus Cõuentualibus memoriter dici solent, ipsiq; memoriter discant Officium Dominae nostræ, officium Defunctorum, Psalmos Penitentiales, & Graduales, & ex sancta Regula capita in Cæremoniali nostro annotata.

37. Curet autè super omnia Magister prauos mores sæculi ab illis radicitus euellere, virtutum habitibus eos imbueri, in viros alteros cõmutare, atq; ad cælestè vitã eos totos refringere.



† Hæc autem mutata cū dextera Excelsi sit, oportet illi cooperari, media mortificatione, disciplinæ Regularis obseruatione, oratione mentali, alijsque spiritualibus exercitijs.

38. Vnde quòd attinet ad mortificationem, Regularisque obseruantie præludia, Magistrum admonemus, vt seuerum Censorum Paterno affectu comitante, erga illos se exhibeat, pœnitentijsq; Regularibus, abiectis ministerijs, & functionibus, alijsq; huiusmodi eos exercitet, vt dura, & aspera Religionis experientes, ex jis, quæ passim fuerint obedientiam, humilitatem, patientiam, cæterasque virtutes perdiscant.

39. Expletis Matutinis in Cellulas suas recepti, vigiles perseuerent vsque ad Primam: lectionique per id temporis, meditationi, orationi, ac alijs honestis occupationibus incumbât.

40. Post Primam, sicut & Conuentus per dimidiam horam mentaliter orent (secundum Matutinale exercitium ad calcem harum Constitutionum annotatum) Deinde Monachis Sacrum facientibus sedulo ministrent.

41. Ferijs tertia, & sexta manè ante Tertiam (vel si tunc commode fieri nequeat) post Vesperas Capitulum habeat Magister cum illis, Clamatoresque seu culparum monitores ab eodem designati singulorum defectus (prout in Conuentu fieri solet) proclamant, atque publicè coram alijs denunciant. Pretiosa verò diebus cæteris eadem horam, qua in Conuentu recitatur, Magister cum illis in Nouitiata recitet.

42. Similiter etiam Lectio pomeridiana ibidem habeatur, Vesperæque, & Completorium Domine nostræ, Officium Defunctorum, vel alia, quæ tunc in Conuentu dici solent, persoluântur.

† Tunc etiam temporis (vel alio commodiori) sanctam Regulam eis Magister legat, & explicet, Constitutiones item, præsertim quæ ad Regularem obseruantiam pertinent, vt quæ postea profiteri, ac seruare debent prænoscant. Modum quoque meditandi, & orandi mentaliter secundum Exercitatorium vitæ spiritualis eos doceat, modum confitendi, Breuiarij Rubricas, Cereemonias, atque signa, per hebdomadæ dies huiusmodi exercitijs distributis.

43. Post Vesperas per spatium quadrantis Orationi quoque Nouitij vacent in Oratorio suo congregati. Postquam verò recitauerit



recitauerint Matutinum, & Laudes Dominae nostrae sequentis diei, hora qua Conuentus recitat, breuiter deinde conscientiae examine facto, in lectis suis pausent, vt alacres Matutini tempore surgant.

44. Ne autem desint instrumenta, quibus spiritus feruor, atque deuotio in illis excitari, & nutririqueat, necessariaque possint addiscere, praecipimus vt in Nouitiatu plures sint libri spirituales, sint etiam Biblia sacra, Regula sancta, Breuiarium, & Processionarium Monasticum, Horae Beatae Virginis, liber Cereemoniarum, atque signorum, libelluli quoque doctrinae Christianae, & Ars cantus firmi, siue plani, quem Magister eos, qui nescierint a primis fundamentis perfecte doceat, omniaque praedicta curiose procuret: Abbas vero sub poena suspensionis mensurae de singulis praedictis prouidere teneatur.

45. Pendeant etiam in Nouitiatu instrumenta poenitentia, oris nimirum paxilli, oculorum linteola, fasciculi virgarum ex malo cotonea, quibus Nouitij nudo tergere verberentur.

46. Statuimus, vt Nouitij nullum penitus officium commendetur, quod distractionis materiam eis subministret, vt Sacristae, Refectorarij, Hospitarij, vel aliud huiusmodi. In Refectorio tamen postquam fuerint bene instructi, in prima tantum mensa poterunt legere, seruire vero nequaquam.

47. Ex Nouitiatu non poterunt egredi, nec literas, vel munuscula accipere, aut scribere absque licentia Magistri: Cum vero exierint, sociati (quo ad fieri possit) exeant. Neque item poterunt saeculares alloqui absque eiusdem Magistri, Superiorisq; licentia, quae raro concedatur.

48. Statuimus denique vt nemo praeter Abbatem, & Magistrum, aut vicem istius suppletent Nouitij poenitentias possit iniungere; nemo item ex Professis cum Nouitij sermocinetur, aut vllam cum illis habeat communicationem, vel aliquid eis largiatur: alioquin prima vice, tum professor, tum Nouitius regulari flagellatione verberentur. Quod si non emendauerint, acrius puniantur, & super hoc maxime inuigilent Praelati, & Magistri.

49. Nullus denique Professor absque licentia Magistri Nouitium ingrediatur: In Cellulas tamen Nouitiorum Professis



prohibemus ingressum. *sub præcepto, & virtute sanctæ Obedientiæ,*  
Ipsis verò Nouitijs subpana jeunii panis, & aquæ, & alijs, qui-  
bus Magister eos ab huiusmodi mutuis ingressibus refrenet.  
Si autem aliquis illorū in cellulas Professorum ingredi audeat  
grauiter plectatur.

§.

## De Professione Nouitiorum.

50. **S**Tatuimus ex præcepto sanctæ Regule, vt singuli No-  
uitij infra probationis annum ter voluntatem suam  
circa perseverantiam in Religione explicent coram Prælato,  
& Conuentu capitulariter congregato, *Primò* transactis duo-  
bus mensibus, perlectaque, & explicata iam sancta Regula: *Se-  
cundò* post sex menses. *Tertio* post vndecim.

51. Postquam ergo Nouitius singulis vicibus voluntatem  
suam permanendi explicauerit, præcipimus, vt Magister iuramē-  
to prius accepto, coram Conuentu sincerè, ac fideliter pronun-  
ciet quid experimento sit assequutus, quid sentiat de spiritu, de  
moribus, de genio, de indole, aptitudine, vel ineptitudine ipsius  
Nouitij ad Monasticam vitam peragendam, & in Religione pro-  
ficiendum, ac profitendum.

52. Deinde audita Magistri sententia, Abbas Monachique  
Sacerdotes (præter Magistrum, cognatosque Nouitij) iururan-  
dum accipiant, vt sine vlla passione, humanè respectu per-  
phascolos albos, ac nigros suffragentur circa sufficiētiam illius,  
Super quo conscientias eorum grauissimè oneramus, nè fortè  
propter malè parata, aut negata suffragia, contra iusticiam, & cha-  
ritatem Monachatus aliquando iniuste, & inique concedatur,  
aut negetur.

† Vnde etiam, *sub præcepto virtutis sanctæ Obedientiæ* pro-  
hibemus, nè Monachorum aliquis ex passione odij, vel amoris  
alium inducat ad suffragium ferendum, vel negandum Nouitio.

† Datis suffragijs, ea scrutentur Abbas, & Prior, & Notarius  
Conuentus. Si quis tamen illorum Nouitij fuerit cognatus, vicè  
illius subibit Monachus antiquior.

† Præ-



Præcipimus autem, vt maior suffragiorum pars sequatur ad Nouitium retinendum, vel expellendum. Quod si fortè detur æqualitas, pars illa præualeat, quæ cum sententia, ac iudicio Magistri fuerit concors. Et hæc omnia adimplere teneatur Abbas sub pœna suspensionis ab officio suo per biennium, nec aliter Nouitium ad profitendum admittere præsumat, alioquin Professio nulla sit, & irrita.

56. Cum verò annus probationis debeat esse <sup>a</sup> integer, & <sup>b</sup> continuus, circa integritatem eius declaramus eum incipere ab hora receptionis Habitûs, computandumque esse à momento in momentum, ita vt qui Kalendis Ianuarij (verbi causa) hora tertia post meridiem Habitum suscepit, non nisi alia simili die, & hora, annum Nouitiatus expleat, nec antea ad Professionem possit admitti.

Præcipimus autem esse volumus, ne Pueri minores annis quatuordecim integrè expletis ad annum probationis recipiantur; licet regulariter post annum quintumdecimum debeant recipi.

57. Circa *continuitatem* verò prædicti anni statuimus, vt ea interrumpi censeatur, per quamcunque Habitûs dimissionem, animo non perseverandi factam, consummatamque, & perfectam, per egressum à Monasterio.

58. Præcipimus sub pœna priuationis vocis actiue, ac passivæ per triennium, vt nullatenus à Reuerendissimo, Nouitiorû aliquis à Monasterio, in quo Habitum suscepit in aliud transferatur, vt in eo professionem emittat, aut ad illam approbetur (nisi fortè Conuentualis, seu totius Conuentus transmigracionis causa occurrat.) Alioquin in eo Monasterio ad quod prædicto prætextu mutatur Nouitiatum de nouo incipiat.

59. Admonemus autem, quòd licet Nouitius liberè quouis tempore possit testari, decernente tamè Concilio Tridentino nulla renunciatio gratiosa, obligatio, aut bonorum donatio, quæ inter viuos nuncupatur, fieri validè ab eo potest, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos, ante Professionem, tempusvè quo professio legitimè emitti potuisset, si ipsa prorogari contingat. Nec etiam donatio intra bimestre facta vllius est roboris, nisi sequatur professio.

60. Vt autem omnis mali species præscindatur præcipimus,

<sup>a</sup> Trident.  
sess. 25. c. 25.  
<sup>b</sup> Declaratio  
Cardinalis

<sup>c</sup> Suar. tom.  
3. Relig. lib. 5.  
c. 15. n. 6.

<sup>d</sup> sess. 25. c. 16.

<sup>e</sup> Declaratio  
Cardinaliû,



mus, tùm Reuerendissimo, tùm Abbati, Magistro etiam, ac cæteris Monachis illius Monasterij, in quo Nouitius probandus existit, vt abstineant se à muneribus, vel donis ab ipsis Nouitijs, seu parentibus illorùm accipiendis. Aduertantque Prælati sacrum Concilium præcipere sub comminatoria Excommunicationis pœna ne ante professionem aliquid ex bonis Nouitij tribuatur, aut recipiatur à Monasterio, excepto victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione est, & vt abeuntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

Trident.  
sess. 25. c. 16.

61. Statuimus, vt nullus Nouitiorum ad professionem admittatur, quin prius paucis ante diebus ab Abbate, & Consultoribus in Consilio serio examinetur, de ijs, quæ ex sancta Regula, ex ceremonijs, pausis, signis, Rubricis Breuiarij, & alijs, quæ recens professi scire tenentur. Quod si non plene instructus, & prædicta exactè sciens inueniatur, tempus probationis, & professio ei prorogetur, dummodò sex mensium spatium (Pio Quinto sic statuente) non excedat. Quo termino elapso, si rudis adhuc fuerit inuentus, tanquam ineptus ad Monastica instituta expellatur.

Trident.  
vbi supra.

62. Habiles tamen finito anno & Nouitiatus, ætatisque decimo sexto expleto (nisi rationabilis differendi causa interueniat) ad professionem secundùm ritos nostros in Ecclesia admittatur, nouaque profitentibus Cuculla detur, & ex cæteris indumentis, quæ fuerint opus. Forma autem Professionis, quæ subscribent hæc erit.

¶ Ego Frater N. natus N. Diœcesis N. promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundùm Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti, marisque transitû, coram Deo, & omnibus sanctis eius in hoc Monasterio Sancti N. Ordinis eiusdem Sanctissimi Patris, in præsentia Reuerendi admodum Patris Fratris N. eiusdem Monasterij Abbatis, & sub obedientia Reuerendissimi Patris Fratris N. totius Congregationis Generalis.

63. Si verò Professio ex commissione proprij Abbatis Nouitij, fiat coram Priore suo, vel coram Abbate alterius Monasterij; Prior ipse, vel Abbas præsens nominetur.

64. Si autem fiat in proprio Monasterio Reuerendissimi, & coram ipso, dicatur; *In præsentia, & sub obedientia Reuerendissimi*



*disiimi Patris Fratris N. eiusdem Monasterij Abbatis, & totius  
Congregationis Generalis.*

## CAPVT III.

## De Magistro Nouiorum.

1. **N**E inchoata religiosæ vitæ fundamenta, & initia, aut quæ Nouitij toto probationis tempore didicerunt facile dilabantur, sed perennata potius disciplina vigeant; statuimus, vt Iuniores Monachi post professionem emissam, sex annis integris sub cura Magistri perseuerent, etiamsi sacerdotali charactere sint initiati.

2. Magister hic, ab Abbate de consilio, & assensu vocali Consultorum eligatur, qui Monasterij Prior non sit, sed qui eadem habeat qualitates in Magistro Nouitiorum supra requisitas; In Monasterijs verò, in quibus Nouitij educantur, Magister illorum, Iuniores quoque Monachos Magistrabit, nisi aliud Abbas expedire iudicauerit.

3. Erit prædictus Magister ordinarius Confessarius illorum, & sine speciali licentia ipsius cum alio quouis confiteri non poterunt.

† Confitebuntur autem, tum Iuniores, tum Nouitij, atque Donati, conuentualiterque ad sacram communionem accedent diebus sequentibus.

† Omnibus Dominicis per annum.

† Omnibus Festis Duplicibus primæ, & secundæ classis, siue à populo colantur, siue non.

† Feria quinta, & sexta Hebdomadæ sanctæ.

† Festis Deiparæ Virginis.

† In Octauo die Corporis Christi.

† In festo Sanctæ Scholasticæ, Atque Patroni Monasterij.

Quòd si prædicta feria secunda, aut sabbato occurrant, Cómunió Dominicæ omittatur ( præterquam in Aduentu, & Quadragesima ) tunc enim vtroque die, Dominica scilicet, & festo immediate sequente, vel antecedente, cœlesti cibo reficiantur. S; qui verò rationabilem habeant causam non communicandi, nõ nisi de licentia Magistri abstineant.



4. Singulis Hebdomadibus, feria quarta, vel alia commodiori die Capitulum culparum cum illis Magister celebrabit, in quo similiter Clamatores erunt ab ipso designati, ibique nec non alio quouis tempore, ac loco extra actus Conuenticuales eos poterit reprehendere, & punire, atque nudo etiam tergo flagellare, pœnitentijsque alijs Regularibus secundum culparum merita plectere.

5. Præcipimus autem, vt Abbates neminem Iuniorum ab huiusmodi Capitulis Magistralibus possint eximere: neque pœnitentias Regularès à Magistro impositas, ante illarum executionem ipso inaudito remittant, quin potius cauere debent, ne eodem inconsulto, circa ipsos Iuniores, aut circa Nouitios, eorumque directionem aliquid disponant, aut faciant, vt in omnibus debitus ordo, & suauitas regiminis seruetur. Ipsosque Magistros tanquam consortes sui laboris specialiter foueant, & honorent, atque suo fungi munere liberè concedant, ne ab alijs despectui habeantur. † Magistri verò huiusmodi, de pœnitentijs ab eo impositis in Refectorio adimplendis, Abbatem certiore faciat eo modo, quo Prior.

6. Statuimus, vt prædicti Iuniores omnes simul cum Magistro post Vesperas (vt prædictum est de Nouitijs) per spatium quadrantis orationi mentali vacent. Atque super huiusmodi Vespertini, matutinique post Primam exercitij frequentatione ad vitæ compositionem, & Religionis profectum summè necessarij, Prælati, ac Magistri conscientias grauitè oneramus, præcipimusque, vt eos tunc temporis à quibuscunq; alijs rebus, atq; negotiis expediât, minimeq; alijs occupationibus distineant.

7. Decernimus, vt prædicti Recentiores Monachi post emissam professionè non possint transferri, nisi in Monasteriù Tibanense, Olyssipponense, Portucalense, Sancti Thyrsi, & alia in quibus aliqui saltè supra viginti Monachi Conuenticuales existant, & in quibus ipsi habeant alios socios disciplinæ. Postquam verò habuerint quatuor Religionis annos integrè expletos, tunc iam poterunt transferri ad alia quoque Monasteria, minoris numeri Monachorum. Ad ea verò, quæ duodecim saltè Monachos nò habuerint, non nisi Sacerdotes iam initiati transferantur. Quæ omnia Reuerendissimus adimplere teneatur sub pœna grauis culpæ in syndacatu Capituli Generalis infligendæ.

8. Præci-



8. Præcipimus insuper, vt nullatenus Iunioribus illis ante Sacerdotium tradantur officia, quæ ipsos distrahere, seu potius destruere possint: vt sunt officia Sacristæ, Ianitoris, Cellararij, Dispensatoris, & Exactoris, seu Receptoris reddituum Monasterij; Quod si Abbas secus fecerit, quadrimestri suspensione plectatur. In super etiam quod fieri possit, non sint Refectorarij, nec Hospitarij, nec socij aliorum Monachorum; Coadiutores tamen aliquorum exprædictis Officialibus esse poterunt, prout Abbates viderint expedire.

9. Nullatenus sociati, sed singuli in singulis cubiculis habitent, ac dormiât, quæ aliquoties Magister perustrabit, vt sciat quibus nam occupationibus tempus expendant, inutiliterque, & infructuosè illud expendentes grauer puniat.

10. Prohibemus etiam, ne Iuniores ante Sacerdotium cum Sacerdotibus conuersentur, specialemvè familiaritatem habeât cum illis, aut iniussi capite tecto, seu sedendo coram ipsis colloquantur, alioquin disciplinæ regulari subiaceant.

11. Statuimus, vt tempore prædicto fratres illi iuniores in Latinitate se se perficiant, & in cantu plano, floridum etiam, siue figuratum, organaque pulsare, seu alia instrumenta Choro seruientia addiscant.

† Vnde Prælatis Monasteriorum principalium, in quibus Iuniores educantur, præcipimus, *Primò*, vt pro illis, quibus opus est Magistrum Latinitatis designent, qui diebus singulis commodiori tempore per horæ saltem dimidium eos curiosè doceat; Incuriosos autem, ac negligentes Abbati referat, vt eos puniat.

† Designent *Secundò* Prælati Magistros, qui eos tum cantu, tum organo instruant, ferijs saltem tertijs, quintis, & Sabbatis ante vel post Vesperas. Vnde Prælatis illis Monasteriorum principalium præcipimus, quod Monochorda emant, prout fuerit necesse ad huiusmodi exercitij genus.

† Vbi autem fuerit opportunitas, sæcularem etiam egregiū aliquem Organistam, aut alterius similis artis peritum, ad eos quos genium inuitat perfectiùs erudiendos, mercede solucnda ex arario Congregationis, conducant: quod in visitationibus Religionis zelo fiat obseruari.

† Porro si Prælati filiorum quasi oblitij, disciplina, exercitij, &



occupationis eorum prædicta illa obseruare, & ordinare contempserint, exemplari suspensionis poena in Visitationibus puniantur.

§.

## De Nouioribus Ordinandis.

12. **S**Tatuimus, vt Monachi Iuniores post professionem intra secundum Religionis annum, Minores ordines suscipiant in Ecclesia, solitis temporibus, vel diebus etiam Dominicis, aut festis <sup>a</sup> ab Abbatibus suis (prout supra dictum est) Sacramentali præmissa peccatorum confessione.

a C. De eo  
autem.

13. Minoribus ordinibus susceptis, decernimus vt nullus ad Sacros ordines admittatur, quin sufficienter linguam Latinam calleat; quin etiam prius cantum saltem planum, & organum pulsare sciat, vel vice organi instrumentum aliud ad Chorum, splendoremque, & ornatum officij Diuini conducens. Quòd Abbates, *sub præcepto virtutis sanctæ Obedientiæ*, adimplere teneantur.

† Quoniam verò non omnes apti sunt, & habiles ad instrumenta illa perdiscenda, permittimus, vt ad prædictos Ordines promoueri possint, illi de quibus Abbati, & Consultoribus constitert eos ad addiscendum moralem diligentiam facere, nescientiamque non ex negligentia, sed ex naturali ineptitudine prouenire, *licet labor improbus omnia vincat.*

14. Ad Sacrum igitur Ordinem Subdiaconatus nullus promoueatur, nisi vigesimo secundò <sup>b</sup> ætatis anno inchoato, & Religionis tertio integre expleto.

b Trident.  
ses. 23. c. 12.

† Ad Diaconatumque nullus ascendat, nisi vigesimo tertio ætatis anno incepto, & Religionis quarto integre elapso.

† Ad Presbiteratum tandem, non nisi vigesimo quinto ætatis anno Religionisque septennio inchoatis.

15. Vt autem hæc ad vnguem obseruetur, statuimus vt nullis sacris Ordinibus aliquis initietur, quin prius hæc tria præcedant; *Primo* præsentet Ordinandus in Concilio authenticum testimonium ex libro Nouitiatus fideliter transcriptum, & à Prælato Monasterij, Magistro, & Notario Conuentus, vel Confilij,



filij, siue (absentibus illis) ab alio seniore Monacho subsignatum, ex quo constet de ætate regulari, ac naturali ipsius Ordinandi: Præcipimusque *in virtute sanctæ Obedientiæ*, & sub pœna priuationis vocis actiua, & passiuæ per biennium tum Abbati, tum cæteris etiam Consiliarijs, vt nullum absque prædicto testimonio (ita vt de vtraque ætate certò constet) ad vlllos sacros Ordines admittant.

† *Secundò*, Prædicti Ordinandi in eodem Consilio examinentur de sufficientia Latinitatis, de Cantu plano, & de ijs quæ ad Ordines suscipiendos secundum Decreta sacri Concilij a Tridentini quoad materiam scientiæ requiruntur. Præcipueque ad Presbiteratum promouendi, de Sacramentis, & casibus quæ in celebratione Missæ possunt accidere seriò interrogentur. Deinde Consiliarijs præcedente iuramento per phascolos suffragantibus, nullus ad sacros Ordines admittatur, nisi à maiori saltem parte suffragiorum fuerit approbatus; quæ suffragia Abbas, ac duo seniores, cum Notario Consilij scrutabuntur.

a scf. 23. c. 13  
& 14.

† *Tertiò* tandem habiles quoad scientiam inuenti, à Sacerdotibus tantum Conuentus capitulariter congregatis Iureiurando quoque præmissis, de moribus, & vita per phascolos similiter approbentur.

† Quòd si aliquis à maiori, vel æquali parte in Consilio, vel in Conuentu reprobetur sub prædicta priuationis pœna Abbati, atque scrutatoribus præcipimus, vt eum ad Ordines vice illa promoueri nullatenus consentiant. Præscriptum quoque huius nostræ Constitutionis ordinem num. 14. & 15. circa Monachos ordinandos sub eadem pœna Abbas obseruet.

16. Statuimus vt in prædictis Religionis interstitijs non nisi in Capitulo Generali ratione proiectæ ætatis, vel alia simili (rarò tamen) dispensari possit.

† Dispensatio verò in annali interstitio à suceptione postremi gradus Minorum Ordinum vsque ad Subdiaconatum, & inter alios sacros Ordines secundum Ius requisito, ab Episcopo ordinante ex dispositione Tridentini a petenda est, si necessitas, aut vilitas Monasterij id exposcat.

Trid. scf. 23  
c. 11.

d scf. 23. c. 13

17. Statuimus vt sacris Ordinibus susceptis nullus eos exercere audeat absque licentiâ, & benedictione Abbatis, qui sub pœna suspensionis menstruæ eam non concedet, nisi prius in

in



in Consilio Ordinatus ipse de Cæremonijs, de pausis, seu modo canendi Epistolam, Euangelium, Præfationes, &c. à Consultoribus minutatim examinetur, Cæremoniæque Magister coram ipsis Consiliarijs fidem faciat, illas ab eo iam expedite facturari.

18. Ut autem Iuniores à disciplina Magistrali eximantur, septennium Religionis primò finiant, caractereque Sacerdotali sint insigniti; qua vtraque conditione adimpleta, veniam primùm postulent à Magistro de negligentijs, ac defectibus præteritis; deinde in Capitulo conuentuali ab Abbate, & Conuentu; quandiuque id non fecerint, Magistrali disciplina subiacent.

## CAPVT V.

### De Consiliarijs Conuentus.

1. **I**N Obseruationem sanctæ Regulæ *a* de fratribus ad Consilium adhibēdis, cum *b* facilius inueniatur quod à pluribus senioribus queritur, statuimus, vt in singulis Monasterijs, Monachi Consiliarij designentur, quorum Consilij, & admonitionibus spiritualia, ac temporalia felicius dirigantur.

2. Quòd ergo attinet ad numerum illorum decernimus primò, vt in minoribus Monasterijs in quibus Conuentualium numerus denarium non attingit Consilium constetur ex Sacerdotibus ibidem commorantibus extra disciplinam Magistralem constitutis. *Secundò* vbi Conuentuales fuerint decem vel supra Consiliarij erunt quinque præter Abbatem.

*Tertiò* vbi Conuentuales fuerint decem & octo, vel supra Consiliarij præter Abbatem erunt tertia pars Conuentus, ita tamen vt nunquam sint plures, quam decem, quantumuis Conuentus quoad copiam ac numerum Monachorum accrescat.

3. Quòd verò attinet ad personas, & qualitates illorum, statuimus, vt Prior, & Subprior, omnesque qui Paternitatis titulo gaudent, eo ipso Consiliarij sint. Reliqui verò in ipso Consilio sunt eligendi, regulariterque ac cæteris paribus seniores Habitu eligantur. Electio verò illorum ab Abbate de Consilio, & assensu

*a* Cap. 3.  
*b* 20. Diff.  
de quibus.



Et assensu vocali Consultorum existentium fiat. Nullus tamen voce actiuus priuatus in Consiliarium poterit eligi, aut electus, vocem in Consilio habere quandiu priuatio illa perseuerauerit.

4. Qui quadragesimum Religionis annum completum, vel vocem actiuam in Capitulo Generali habuerint, Consiliarij ipso facto erunt (licet illorum numerus iuxta supra dicta sit forte completus.) Idemque de Lectoribus, de Prædicatoribus generalibus, aut gradu aliquo Academico in Iure, vel Theologia laureatis intelligendam esse volumus.

5. Nullus ad Consilium denuò admittatur, quin prius Iuramentum fidelitatis quoad secretum seruandum, coram alijs Consiliarijs emittat.

6. Nullus tamen semel electus, & admissus poterit à Consilio remoueri, nisi per sententiam fuerit conuictus ob culpam iuridicè probatam, ijs tantum exceptis, qui ratione tituli, vel officij Consiliarij sunt, vt Prior, & Subprior. Hi enim prædicta ratione finita, tanquam fundamento sublato, Consiliarij esse desinant, nisi alias denuò alio ex capite eligantur.

7. Statuimus, vt præter speciales casus in quibus prædicti Consiliarij congregandi sunt, & consulendi (prout in his Constitutionibus suis specialiter locis annotatur) singulis mensibus Consiliarios conuocet Abbas, vt de ijs, quæ circa spiritualia, aut temporalia Monasterij debent prouideri, in communi agatur, ibiq; vnusquisque ordinatim sancto zelo ductus proponat quid faciendum, prohibendum, aut emendandum iudicauerit. Abbas verò singulorum admonitiones libenter audiat, atque debita executione, seu iusta responsione illis satisfaciat.

8. Vt hæc autem ordinatè fiant, præcipimus, vt Abbas vnus ex Consiliarijs designet, qui Notarij Consilij vicem gerat, fideliterque scribat in libro (qui liber Consultorius nuncupetur) omnia, quæ ibidem fuerint tractata, proposita, atque decreta, exprimens annum, mensem, ac diem, numerumque suffragiorum pro vna, & altera parte, & in fine tandem ipse subscribat, & Abbas.

9. Hæc autem non extra Consilium, sed ibi coram ipsis Consiliarijs exarari præcipimus; Quæ omnia prædicta Abbas obseruare facere teneatur sub pœna suspensionis arbitrariæ.

10. Consiliarius verò congregatis præcipimus, vt antequàm aliquid de nouo proponatur, Notarius Consilij ex Codice suo



legat omnia quę in Consilio ordinario mēsis præcedentis fuerūt  
proposita. Liber autē Consultorius sub custodia Abbatis erit, in  
soloq; actu Consilij Notario tradetur, vt suo fungatur munere.

11. Cæterum si contingat aliquem ex Consiliarijs absentē  
esse, aut legitimē impeditum, si præsentēs reliqui prædictum nu-  
merum, seu tertiam partem Conuentus non attingant, tot  
alijs Monachi, aliās habiles, & idonei ordine antiquitatis cuius-  
que seruato, ad Consilium vocentur, quot vocare fuerit necesse  
ad prædictum numerum complendum, qui præmisso Iuramento  
vices absentium suppleant.

12. Ipsos autem Consiliarios in Domino exhortamur, vt  
omni respectu humano resecato, vota sua ferant, siue illa decisua  
sint, siue consultiua, prout Religioni vttilius, iustitię, atque recti-  
tudini conformius iudicauerint, absque vlla suffragij sui decla-  
ratione. Quod si aliquis ante Consilium suffragium suum ali-  
cui sponderit, aut indicauerit, à Consilij ipso facto priuetur.

13. Præcipimus denique, vt in Consilio per calculos albos,  
ac nigros suffragetur; *Primò*, quoties id expressè in lege nota-  
tur; *Secundò*, quoties aliquid de assensu, seu consensu Consultorum,  
fieri præcipitur, atque tunc tenebitur Abbas maiorem partem  
suffragiorum sequi.

Quando verò præcisè dicitur, quod fiat de Consilio, vel de as-  
sensu vocali, tenetur Abbas, eos consulere, vt forma legis seruetur,  
illis tamen auditis facere poterit quod magis expedire, &  
vttilius in Domino iudicauerit; Similiterque si suffragia fuerint  
æqualia; (nisi aliud in aliquo speciali casu mandetur.

14. Porrò suffragia Consultorum scrutabuntur ab Abbate,  
à duobus senioribus Consiliarijs, & à Notario Consilij.

## CAPVT VI.

### De Prædicatoribus.

1. **C**vm ex decreto sacri Concilij Tridentini Regulares  
verbi Dei Concionatores in Ecclesijs etiã Ordinū suo-  
rum prædicare non possint, nisi prius à suis Superioribus devota,  
moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, atque cum  
ipsorum licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, &  
ab



ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant: in Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum Episcopi etiam teneantur habere licentiam, sine qua in ipsis Ecclesijs externis, nullo modo prædicare possunt; statuimus primò, vt nullus ad ministeriũ prædicationis verbi Dei admittatur, quin prius finitis Theologiæ annis secundum Constitutionem Collegij, à tribus saltem (iuxta Clementinam sanctionem *b*) grauibus, & peritis Theologis à Re *b* n. 37. uerendissimo designandis, diligenter simul examinetur, ipsorumque approbetur iudicio, nec ante huiusmodi examen, & approbationem Abbas aliquem Episcopo præsentare audeat, alias per annum suspendatur.

2. Ipsos autem approbatos iam à Superioribus suis, & locorum Ordinarijs, admonemus in Domino, & exhortamur, vt solam Christi gloriam, & animarum salutem præ oculis habentes, non in sapientia hominum, sed in virtute Dei, nec in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, & virtutis prædicare studeant, atque ex iugi Sanctorum Patrum lectione forbeant quod loquentes erga proximum refundant.

3. Caueant verò maximè ne verbum Dei instrumentum fecerint vindictæ, aut Ecclesiarum Prælati nominatim, seu æquiualeuter detrahere præsumant, cum id in Iure *c* sub grauibus *c* Clemen. 1. pœnis sit prohibitum, deceatque eos tanquam Patres præ ceteris reuereri. Qui autem in his, aut alijs similibus mordaci dicitate, pungentibus dicerijs, amarulentis scommatis, seu cauillis adulterantes verbum Dei, cum scandalo deliquerint, grauius puniantur; Ab Officio vero prædicandi ad arbitrium Reuerendissimi, aut Visitatorum tantum, poterunt pro culpâ suspendi, aut priuari.

4. Statuimus, vt in Capitulo Generali à Reuerendissimo, Diffinitoribus, ac Visitatoribus simul congregatis, Prædicatoribus omnibus recensitis, & redactis in Catalogum, ex illis omnibus, qui literis gratia, ac alijs dotibus ceteros vincunt, quibusque maius auctoritatis pondus inest, ad Monasteria Urbana plures, vel pauciores secundum necessitatem cuiusque Monasterij eligantur; Qui si in progressu triennij aliqua ratione defecerint Reuerendissimus alios famigeratos substituatur, tot quot sufficiant ad munus suum domi, & extrâ suauiter exequendum.



5. Cæteros per reliqua Monasteria distribuat Reuendissimus plures etiam, vel pauciores secundum nobilitatem cuiusque loci, & audientium, vicinarumque partium qualitatem.

6. In prædictis Urbanis Cœnobijs concionentur Prædicatores omnibus Dominicis, ac Festis per annum, more solito, in Dominicisque Quadragesimæ matutinæ, ac vespertinæ Conciones habeantur, cum reliquis, quæ secundum consuetudinem loci haberi solent.

7. In alijs verò Monasterijs Dominicis, ac Festis, secundum numerum Prædicatorum concionandum erit, ita ut vnusquisque illorum per anni circulum quindecim saltem sermones domi concionetur.

8. Senior ergo Prædicator singulis quaternis mensibus, mense vno antequam illi finiatur (iuxta prædicta) Concionum tabulas conficiat, quas Abbas, vel vicem illius gerens subscribat. Domesticæ autem Conciones pro externis non omittantur, neque sine licentia Superioris in tabula sermones subscripti commutentur.

9. Porro Abbas, si Theologicæ disciplinæ operam dedit, aliquoties etiam prædicet, Diffinitoresque, ac Visitatores, si antea concionabantur, à munere prædicandi non desistant, aut præcise, quia tales excusentur, quos tamen in tabularum circulis maluerint sermones eligant.

10. Sexagenarios tantum (*licet hoc lassus fortius figit pedem*) ingrauescente iam ætate, à Prædicandi labore per tabulam releuamus: concionentur tamen illi quoties potuerint, meminerintque, quod vna canities prædicat, suggestiq; corona senectus.

11. Præcipimus Cõcionatoribus *in spiritate sanctæ Obedientiæ*, nè sub prætextu, aut colore fictitiæ prædicationis Prælatos fallere, & à Monasterijs exire præsumât: aliòquin corporeis pœnis grauitèr puniantur, trimestrèq; clausuram infallibiliter obseruet.

12. Via quoque recta extra Monasteriũ Concionantes eũtes, ac redeuntes pergant, curentq; maximè, non verbaliter tantum aerè verberantes prædicare, sed verbis, & actionibus modestiã, grauitatèq; Monachalem vbiq; ostèdere. Quod si aliquis in prædictis deliquerit, aut aliqua de eo sinistra fama, seu irreligiosus rumor diffundi cæperit ipso facto ad externas Conciones factus cultas ei denegetur, aliòquin Abbas ipse puniatur.



† Precipimus etiam Prædicatoribus, vt ad prædicandum pariterque ex instituto canendum cum Clericis, aut secularibus, minimè exeant: neque Missis, aut Officijs Defunctorum canentes absint, alioquin disciplinæ Regulari subiaceant, Superioresque ijs qui super hoc fuerint notati licentiâ ad Prædicationes externas minimè concedant.

13. Caterum, vt Concionatores faciliùs, ac suauius possint laborioso muneri facere satis, ac sanctos Patres diligenter enoluerere, indulgemus, ac permittimus vt designati illi Prædicatoribus Vrbanici (de quibus supra) non teneantur Chorum adire \* nisi in Vesperis, Matutinis, Tertia, atque Missis, Festorum Duplicium Primæ Classis, \* Circumcisionis etiam Domini \* Festi Trinitatis, \* Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, & Purificationis Deiparæ Virginis, \* S. Michaelis, \* S. Iacobi, \* & Festi omnium Sanctorum Ordinis nostri (nisi prædictis diebus concionentur, aut prædictis horis confessionibus audiendis sint distenti.)

† In cæteris verò Festis duplicibus secundæ Classis, quæ à populo coluntur: & in reliquis Beate Virginis, atque in festo S. Scholasticæ, primis Vesperis, & Missis intersint; In Dominicis per annum Missis tantum, cum prædicta exceptione.

† Nullus tamen deerit Officijs mensuris pro fratribus Defunctis, singulisque diebus Completorio, & Orationi mentali illius.

14. Reliqui autem Prædicatoribus si Domi prædicauerint, aut in aliquo Monasterio, Vrbe, vel Municipio, octo diebus antecedentibus Chori immunes erunt: Completorio tamen ac Orationi semper intersint.

† Eodem tantum privilegio, gaudeant etiam si qui in Monasterijs Urbicis tanquam supernumerarij Prædicatoribus (ultra numerum scilicet illorum in Capitulo designatum) commorentur.

\* Porro si prædictis Privilegijs aliquid addere, vel detrahere progressu temporis fuerit opus, non nisi de assensu Capituli Generalis id fiat.

15. Prælatos autem vniuersim admonemus, vt quos viderint vtilius, ac studiosius tēpus expendere indulgentiùs tractēt, frequentioribusq; dispensationibus, ac speciali fauore prosequantur.



16. Quoniam verò strenuè laborantes præmijs afficere, ac priuilegijs decorare decet, statuimus vt Prædicatores, qui quindecim annis per tabulã, vt præfertur numero 7. prædicauerint, (dummodò tamen infra præscriptum tempus tribus saltem triennijs in Monasterijs Vrbicis, seu Municipalibus, prædicto modo concionentur) Prædicatorum Generalium, ac Paternitatis titulo decorentur, tribusque diebus in hebdomada, Matutinarum precum in Choro immunes erunt, duo præterea ex illis in munere prædicandi seniores volumus quòd in Capitulo Generali vocales sint ( prout lib. 1. Constitut. 2. cap. 2. dictum est.)  
 † Seniores autem in munere prædicandi censendi sunt, non qui præcisè prius prædicare cæperint, sed qui concionando (iuxta prædicta) quindecim annos prius expleuerint.

17. Quòd si duo, vel plures eodem præcisè tempore prædictos quindecim annos finierint, antiquiores Habitu præferantur.

† Cæteram si Prædicator Generalis vocem habens in Capitulo per obitum decedat, vel si ex alio quouis capite Capitularis sit, eo ipso alter qui prædicto modo fuerit senior, illi succedat, vocemque in Capitulo Generali habeat quandiu ille prior, ex alio capite, seu titulo Capitularis fuerit; ita vt dno semper Prædicatores Generales hac præcisà ratione Capitulares sint.

18. Ne autem aliqua fraus, aut dolus in prædictis annorum computationibus interueniat, Statuimus vt singulis annis Concionatores ab Abbate, & Monacho Notario Conuentus authenticum testimonium obtineant, in quo vterque sub iureiurando Officij sui fidem faciat eos anno illo per tabulam iuxta prædicta prædicasse.

19. Cùm autem prædictos annos compleuerint, coram Abbate, & Consiliarijs illius Monasterij, in quo tunc Conuentuales fuerint, complementum illud annorum ostendant, prædictis testimonijs præsentatis: Abbas verò, & Consultores, testimonijs illis reuisis, si ea authentica inuenerint, literas testimoniales eis concedant, in quibus omnes, sub iuramento præstito officij Consultorum fidem faciant, & subscribant prædictos Concionatores annos quindecim, secundum leges, concionando impleuisse: huiusmodique literis obtentis, prædictis priuilegijs Concionatores illi fruantur, certioreque statim faciant Reuerendissimum,